LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

Programm

des

Städtischen Lyceums II.

am Kleverthor

zu

Hannover

für das

Schuljahr von Ostern 1873—1874.

Inhalt:

1. Abhandlung des Dr. W. Vollbrecht: De Xenophontis Hellenicis in epitomen non coactis.
2. Schulnachrichten über das Jahr 1873/74 vom Director, Professor Dr. W. Wiedasch.

Hannover.

Druck von Wilh. Riemschneider.

1874.

De
Xenophontis Hellenicis
in epitomen non coactis.

Dissertationem scripsit
Guil. Vollbrecht.

Xenophontis Atheniensis scripta, de quibus variae variis temporibus dictae sunt sententiae, hoc nostro saeculo atque his ipsis annis quam diversissime aestimantur. Scriptor enim ille, quem antiqui fere omnes summis laudibus efferebant, nunc a multis et de animi pravitate reprehenditur et de male conscriptis operibus vituperatur, cum alii eum defendant a talibus opprobriis, animi candorem et pietatem, librorum simplicitatem laudantes.

De nullo autem omnium librorum, qui ejus nomine circumferuntur, plura et magis diversa judicia sunt lata quam de Hellenicis. Qui liber cum multis optimum historiae conscribendae exemplum esse videretur, quem tamen iterum legere F. A. Wolfium „pigebat pudebatque“, quem in duas quem in tres partes dividendum et a scriptore ipso divisum esse haud pauci homines docti confirmare studebant, de ejus vera forma nunc magnopere dubitatur.

Fugere profecto vix potest eum qui diligenter hunc librum perlegit, et cum aliis scriptis vere Xenophonteis confert, Hellenicorum non plane eandem esse rationem atque illorum. Multa enim justo brevius videntur esse narrata, multa copiosius; plurima quae ex nostra sententia maximi momenti sunt aut plane omittuntur aut leviter tanguntur; de viris nonnullis, quos summos et de patria optime meritos putamus, Xenophon aut plane tacet aut satis inīque existimat: mirum igitur non est, de forma hujus libri varias factas esse conjecturas.

Nam cum alii homines docti operis vitia et quae vitia eis videntur Xenophonti ipsi crimini dent, quippe qui non satis aptus fuiſset ad historiam conscribendam, qui partium studio prohibitus fuiſset, quominus juste omnes viros aestimaret, — cum alii vitia plurima culpae librariorum tribuant, quoniam libri manuscripti, quibus historia graeca continetur, omnes essent et recentissimi et plurimis mendis referti, — cum alii opus nobis traditum commentarios esse dicant „consignatos et collectos hiſtoriae postea copiosius et diligentius conscribendae“[1]), neque limatum et perfectum ab ipso Xenophonte[2]), neque ab ipso auctore editum sed ex scriniis mortui ab alio collectum[3]) — alii denique omnino non integrum exhiberi in codicibus librum affirmant, sed neglegenter in epitomen coactum.

---

[1]) Wyttenbach praef. ecl. hist. X. — cfr. G. Sauppe, edit. stereot. Tauchn. a. MDCCCLXVI vol. IV. pag. X. sqq. Assentiri videtur Wyttenbachio Hertlein (obs. crit. in Xen. Hell. 1841 II pg. 1 not.) verisimillimam dicens eorum rationem, qui ultimam scriptoris manum libro deesse statuant. Eadem etiam est sententia Engelii (Xen.'s polit. stellung und wirksamkeit) auctore Buechsenschützio, Philol. XVIII 248.

[2]) Bernhardy, paralipp. synt. gr. 17. Breitenbach Philol. II 444. — Buechsenschütz, edit. Teubn. 3. pg. 5; A. Nicolai, nov. ann. phil. (ed. Fleckeisen) 89, 823; Volckmar, de Xen. h. gr. comm. pag. 21 sq. — Lipsius, über den einheitl. character von Xen.'s hellenica 11.

[3]) Editor Parisinae editionis Didotianae praef. V: „Accedit, quod scripta nonnulla, ea praesertim quae sunt de rebus publicis Ath. et Lac. atque adeo historia graeca, non videntur ab ipso Xenophonte profecta et edita, sed ex scriniis mortui ab alio collecta: quo magis lubricum est genuinae talium scriptorum formae, quae fortasse numquam exstitit, inveniendae studium.“

Cum primus Lobeck de authentia Hellenicorum suspicionem movisset[1]) ac deinde Car. Peter similem proposuisset thesim[2]), idem judicium tulerunt Th. Bergk[3]) et B. Buechsenschütz[4]), ante quem jam Tell[5]) et accuratius paullo J. F. C. Campe[6]) affirmaverant, historiam graecam nobis traditam esse epitomen veri operis mutilam ac puerili modo confectam. Deinde graecus homo doctus, *A. Κυπριανός*, libellum publici fecit juris[7]), in quo *παράδοξα* multa congerens, multa proferens Hellenicorum vitia, detegens multas lacunas, thesin variis argumentis probatam proposuit hanc (pg. 25): *τὰ Ἑλληνικὰ δὲν εἶναι ἡ πρωτότυπος συγγραφὴ τοῦ Ξενοφῶντος, ἀλλ' ἐπιτομὴ, γενομένη μετὰ Χριστὸν καὶ πιθανῶς ὑπὸ Χριστιανοῦ.* — Denique Germani duo homines docti eandem sententiam professi sunt, Dittrich-Fabricius[8]) et R. Grosser[9]), qui tamen non de Hellenicis solis ita judicabant, verum etiam de Agesilai encomio, de rebus publ. Athen. et Laced., de apologia Socratis, quos omnes libellos partes fuisse affirmabant Xenophonteae historiae graecae, ab epitomatore quodam ex vero illo opere exscriptas, decurtatas, depravatas[10]). „Heu quanti operis deperditi quanta superstes epitome! quanta conscriptorum a sene Scilluntio librorum copia!“[11])

Contendunt igitur historiam graecam nomine Xenophontis nobis traditam non esse genuinam illam quam Xenophon scripserit, sed ab epitomatore[12]) ita in epitomen coactam, ut multa omissa sint, tertia minimum pars e sententia Dittrich-Fabricii, plus dimidio e Grosseri, multo etiam plura e Cypriani sententia. Epitomator studebat quidem retinere et servare, quantum fieri potuit, ipsissima verba Xenophontis[13]), multa tamen omittebat, cetera arcte cogebat. Quo factum est ut permulta inveniantur hujus rationis vestigia (occulta quidem, quippe quae effugerint oculos et sagacitatem omnium hominum doctorum usque ad Cypriani et Grosseri aetatem!), cum multi servati loci referendi sint ad superiores locos, a Xenophonte scriptos, nunc — epitomatoris culpa — omissos, atque explicari nequeant nisi ejecti illi putentur; quo factum est ut multa perperam disputata sint et disputentur de rebus narratis, quas

---

[1]) ad Soph. Aj. ed.[2] 1835 pg. 443.

[2]) comm. crit. de Xen. Hell. 1837, 66 sqq.

[3]) Encycl. Hal. I 81, 391: „die beurtheilung wird dadurch erschwert, dasz das werk offenbar nicht in seiner ursprünglichen sondern in mehrfach abgekürzter gestalt uns überliefert ist.“ cfr. etiam Fuhrmann, gesch. der griech. Lit. II 2 p. 309 (quem laudat Grosser, nov. ann. phil. 93, 724): „allein bei aller verstümmelung und entstellung des textes durch spätere *sammler und epitomatoren* hat diese gesch. ihren originellen geist nicht verlieren können.“

[4]) Philol. XIV 548: „ — — man kann leicht zu der vermuthung veranlaszt werden, dasz wir nicht die geschichte des Xenophon selbst, sondern einen wenig sorgfältigen, unregelmässigen, ja vielleicht lückenhaften auszug derselben vor uns haben.“ — Postea tamen B. hanc opinionem omittens ipse contra eam disputavit, et in ed. Teubn.[3] pg. 6, et in nov. ann. phil. 103, 217 sqq.

[5]) Philol. X 567 sq.

[6]) in praef. interpr. german. Stuttgart, Metzler 1856; cfr. progr. Greiffenberg pg. 1; nov. ann. phil. 105, 691 sqq.

[7]) *περὶ τῶν Ἑλληνικῶν τοῦ Ξενοφῶντος, ἐν Ἀθήναις* 1859.

[8]) nov. ann. phil. 93, 455 sq. [9]) nov. ann. phil. 93, 721 sqq.; 95, 737 sqq.

[10]) Grosser, „Zur characteristik der epitome von Xenophon's Hellenica“, progr. Barmen 1873 pag. 4, priore sententia rejecta solum Agesilai encomium nunc affirmat fuisse olim partem operis genuini.

[11]) G. Sauppe l. l. XI. cfr. Hertlein, nov. ann. phil. 95, 464. — Plane aliam sententiam probabat nuper E. A. Richter: interpolationibus et Anabasin et *Hellenica* Xenophontis esse *inquinata*, cfr.: „Kritische untersuchungen über die interpolationen in den schriften Xenophon's 1873. = nov. ann. phil. suppl. VI pg. 557 sqq.‘

[12]) „a sophista“ Grosser, nov. ann. phil. 95, 742; 105, 26; progr. 9.

[13]) Cypr. pag. 44: *ἠθέλησε καὶ κατώρθωσεν νὰ φυλάξῃ αὐτὰς τὰς λέξεις τοῦ Ξενοφῶντος.* — cfr. Grosser progr. 12.

intelligere non satis possumus ex eis, quae nunc supersunt; quo etiam factum est, ut in hoc libro Xenophontis, ab antiquis omnibus laudati ob *σαφήνειαν καὶ καθαρότητα* legantur permulti loci qui male habent et verborum collocatio et sententiarum conjunctio aliaque si spectantur. Neglegenter etiam et parum accurate plerumque egit epitomator[1]), qui multos locos reddidit brevissimos, aliis contra fere „in extenso“ retinuit verba a Xenophonte scripta in opere vero.[2])

Complures jam homines docti hanc sententiam[3]) refutabant. De Cypriani libello sententias tulerunt Em. Mr. (Aemilius Müller)[4]) et fusius popularis *Πανταζίδης*[5]), contra quem denuo thesin propositam Cyprianus sustinebat novisque argumentis defendebat[6]). Deinde praeter G. Sauppium et Hertlinium jam laudatos Guil. Meyer[7]), B. Buechsenschuetz[8]), J. Haenel[9]), L. Breitenbach[10]) sententiam illam falsam probare studebant, cum etiam A. Schaefer[11]), Nitsche[12]), Beckhaus[13]), alii eam rejicerent. — Sed cum illi et non omnia protulerint, quibus haec sententia rejici posse mihi videatur et nonnulla minus recte disputaverint, et cum Grossero nondum persuasum sit, falsam esse illam thesim, quippe qui etiam eam sustineat et defendat[14]), non inutile equidem credidi, totam quaestionem retractare, atque ea proferre, quibus illa sententia refutari posse mihi videatur, obiter tamen tractatis eis, quae jam ab illis hominibus doctis recte disputata sint. Ita spero me assecuturum esse, ut si minus Grossero[15]) ceteris tamen hominibus doctis persuadeatur, *Xenophontis Hellenica integra in codicibus exhiberi neque neglegenter in epitomen coacta.*

Disputationem meam ita instituendam esse sum ratus, ut primum ea argumenta

---

[1]) qui tamen aliis locis — mirum in modum — summa arte lacunas occuluisse dicitur: Grosser, 93, 724; Cypr. 44: *ἴσως φανῇ τοῖς ἀναγνώσταις παράδοξον, πῶς ἐπιτομεὺς ἔχων τόσην τέχνην ὥστε διέφυγε τοσοῦτον χρόνον τὴν προσοχὴν τῶν σοφῶν ἀνδρῶν καλεῖται ἀμελής κτλ.* — Contra Grosser nov. ann. 105, 26: „ein ungeschickter epitomator.“

[2]) Cypr. p. 45. *διότι παρὰ ταῖς μικραῖς καὶ κεκομμέναις περιόδοις ἵστανται μεγαλοπρεπεῖς καὶ λίαν τεχνικαί.* cfr. Dittrich-Fabricius, l. l. 455.

[3]) G. Sauppius l. l. dissertationem Cypriani dicit „disputationem omni cognitione dignam et ad judicium de opere Xenophonteo faciendum utilem“. —

[4]) Zarncke, literar. Centralblatt, 1860, 92 sqq.

[5]) in ephemeridis graecae, quae *Φιλίστωρ* inscripta est, vol. II. pgg. 66 sqq. et 107 sqq.: *περὶ τῶν Ἑλληνικῶν τοῦ Ξενοφῶντος ἂν εἶναι κατὰ τὸν Κυπριανὸν ἐπιτομή.*

[6]) ibid. pgg. 339 sqq. et 451 sqq.: *περὶ τῶν Ἑλληνικῶν τοῦ Ξενοφῶντος πρὸς Πανταζίδην.*

[7]) de Xenophontis Hellenicorum auctoris fide et usu, Halis 1867 pag. 7.

[8]) „Xenophons hellenica und Plutarch“: nov. ann. phil. 103, 217 sqq.

[9]) „Besitzen wir Xenophon's Hellenische geschichten nur in einem auszuge?“, progr. Breslau 1872.

[10]) „Xenophon's Hellenica, Diodor und Plutarch,“ rh. mus. nov. XXVII. pag. 497 sqq.

[11]) nov. ann. phil. 101, 528.

[12]) „Über die abfassung von Xenophons Hellenica,“ Berlin 1871 pg. 38 sq. de quo libello cfr. Breitenbachium „Zeitschrift für das Gymnasialwesen“, 1871 pg. 717 sqq., et E. Jungmannum „philologischer Anzeiger“ V (1873) pag. 139 sqq., quorum prior rejicit, posterior probat Nitschii sententiam mihi quoque probatam, duas esse partes Hellenicorum, quorum altera priores quatuor libros et quinti caput primum complectatur, altera reliqua. Cfras etiam O. Schambachium, „Untersuchungen über Xenophons Hellenica“, diss. inaug. Jena 1871, pag. 7. Lavesium, „Xenoph. Hell. I. und II.“ Lyck 1867, pag. 2.

[13]) „Xenophon der jüngere und Isocrates, oder über die unechten schriften Xenophons und die Hellenica“. I. progr. Posen 1872; II. in Z. G. W. 1872 pag. 225 sqq.; praecipue cfr. pg. 258 sqq.

[14]) „über eine muthmaszlich verlorene Thukydides-epitome“, nov. ann. phil. 105, 25 sq.; „Plutarch und der Hellenica auszug“, ibid. 723 sqq.; progr. Barmen 1873; cfr. etiam nov. ann. phil. 99 pg. 193 sqq.; 101, 593 sqq.

[15]) nam „jenes *axiom* von der unechtheit der hellenica ist bei mir längst zur *evidenz* gediehen“ 93, 722; cfr. 105, 740 (progr. pg. 1): „die bei mir längst zur evidenz gediehene auszugstheorie“. cfr. Dittrich-Fabricius l. l. 455: „*ich bin zu der festen überzeugung gelangt* etc.“

examinem, quae generalia tamquam vel pro hac sententia facere, vel contra eam aliquid valere videantur, atque ut deinde ex singulis a Cypriano et Grossero prolatis argumentis nonnulla perpensitem et quanti momenti sint ostendere studeam. —

Primum igitur quaerendum videtur, num omnino antiquis temporibus epitomae sint confectae, quales eae sint, et num Xenophontis historia graeca nobis tradita eis sit similis. — Cyprianus Fr. Creutzero auctore epitomarum nonnulla exempla laudavit[1]). Profert igitur Philochorum excerptum a Theopompo, Ephori scripta in epitomen coacta, a Philippo Theopompi, a Bruto Philippi confectas epitomas. Quamquam quae de singulis his epitomis traduntur non satis certa sunt[2]) colligi tamen ex eis potest, revera factum esse ut antiquorum scriptorum libri a posterioribus in epitomas cogerentur. Quae tamen res haud magni momenti videtur esse in hac quam tractamus quaestione probanda; inde enim non sequitur epitomas confectas fuisse ex omnibus historicorum antiquorum operibus, neque ex plurimis, neque ex Xenophonteis, sequitur tantum hoc, *fieri potuisse* ut etiam Xenophontis historia graeca in epitomen cogeretur. — Jam vero alia quaestio oritur, num verisimile sit, epitomen fuisse confectam hujus libri Xenophontei, qui raro lectus atque posterioribus fere non notus fuisse videtur, cum rarissime laudatum sit a scriptoribus, cum perpauca tantum ex eo a lexicographis et grammaticis allata inveniantur. Quod quomodo factum esset, si hic liber tam clarus fuisset, ut cuipiam in mentem veniret, in epitomen eum cogere, perspici plane nequit[3]).

Deinde cum nullum earum quas Cyprianus laudavit epitomarum vestigium ad nostram usque pervenerit aetatem, de ratione earum judicare non possumus, quod possumus de eis quae servatae sunt, Trogi Pompeji dico epitomen a Justino confectam, Ctesiae, Diodori aliorum epitomas a Photio nobis traditas, alias[4]). Quas jam si conferimus cum Xenophontis historia graeca qualem codices exhibent, non dubitare profecto non possumus, num sententia illa prolata recte habeat. Nam cum jam per se videatur patere[5]), epitomas non ita confici ut multa quam brevissime narrata serventur, multa plane omittantur, e contrario multa quam copiosissime narrata retineantur, orationes totae exhibeantur et quae sunt similia, tum Justini Photiique epitomae plane aliter sunt comparatae: quam brevissime *omnia* narrantur, ut multa obscura sint reddita, multa turbata; integrae autem operis veri partes retentae sunt nullae[6]).

Verum tamen ne mihi videar hoc argumento sententiam illam propositam falsam probavisse, viri qui eam protulerunt ipsi caverunt. Cum illis enim non potest comparari haec Xenophontis epitome, quae peculiaris est („eine eigentümliche art von epitome") et quidem talis in qua Xenophontis verba ipsa saepe sint servata, longiores quoque multi loci plane integri retenti „cum placerent epitomatori, aut facili opera in epitomen cogi nequirent", in qua

---

[1]) pag. 98 sqq.; *Φιλίστωρ* 462. — cfr. Grosser progr. 7, §. 4.

[2]) cfr. Fr. Creutzerum ipsum, „histor. kunst der Griechen", pgg. 334; 357; 322; 338; G. Sauppium l. l. pg. XI., C. Müllerum, fragm. hist. gr. IV. 626. — A. Graefenhan, gesch. der class. philologie II. 177 sqq.; 395.

[3]) Hoc jam monent Nitsche l. l. 39 et Buechsenschuetz nov. ann. phil. 103, 217; Grosserus tamen perseverat in affirmando (nov. ann. phil. 105, 724): „es ist ausgemacht, dasz *die weniger bedeutenden werke* von der epitomatoren thätigkeit keineswegs ausgeschlossen blieben." — cfr. Haenel l. l. 36.

[4]) Mirum mihi videtur, de his talibusque quas novimus epitomis Cyprianum plane tacere.

[5]) quod quidem Grossero non videtur, cfr. progr. 11 sqq.

[6]) Auctore Grossero (progr. 8) Rozek, de natura latinitatis Justinianae, Hermannstadt 1865, probavit „Justinum in conficiendo brevi historiarum Pompejanarum corpusculo *nonnullas operis magni partes integras* servasse etc.", qua re equidem refutor, si quod ignoro et quod Grosser non addidit, Rozek certis argumentis sententiam firmavit.

multae partes sint decurtatae, multae verum etiam additae, ex Institutione Cyri, ex Memorabilibus aliunde desumptae[1]). Cujus quidem tam peculiaris epitomae quamquam aliud exemplum neque laudatum est a viris illis, neque omnino afferi potest, quantum scio, tamen „a priori" quod dicitur negari nequit, aliquando etiam talem epitomen confici *potuisse*.

Duobus igitur his argumentis in dubio quidem ponitur thesis illa, neque vero refutatur. — Majoris autem momenti putaverim quod nunc allaturus sum.

Ex locis enim illis notissimis saepeque tractatis Diodori[2]), Marcellini[3]), Anonymi vitae Thucydideae auctoris[4]), Dionysii Halicarnassensis[5]) certissimum id videtur sequi (ut omittam alia omnia, quae ex eis et colligi possunt et colliguntur[6])), viris illis cum talia scriberent innotuisse historiam graecam Xenophontis arcte cohaerentem cum Thucydidis opere, exordium saltem inde capientem ubi Thucydides deficeret; ante oculos igitur eis fuisse idem exordium operis Xenophontei ac nobis, hoc est prooemio plane carens et primis verbis ipsis probans, opus cum alio quodam arcte esse conjungendum.[7]) Cyprianus jam contendens initium operis Xenophontei non plane cum Thucydidei fine cohaerere — id quod recte disputasse mihi videtur[8]) — argumentationem eorum qui affirmant librariorum culpa prooemium esse omissum aut mutilatum *παράδοξον* dicit, *cum librarii ipsa initia summa diligentia tractare soliti essent*[9]), et statuit ab epitomatore omissum esse prooemium non quadrans ad epitomen, et cum prooemio operis etiam alia multa esse ejecta. Similiter etiam Grosser[10]) negandum dicit, a Xenophonte ipso historiam graecam arcte cum Thucydidis fine conjunctam fuisse, neque verisimile esse initium operis casu interiſse, „da wir wissen, welche grosse sorgfalt die abschreiber gerade auf den anfang eines zu copierenden werkes legten."[11]) Antiquis vero illis teſtimoniis nihil aliud probari Grosser dicit nisi *materiam* a Xenophonte tractatam cohaerere cum materia Thucydidis, neque vero continuatum aut perfectum esse hujus opus ab illo; eis non refutari sententiam qua statuatur, a Xenophonte prooemium breve fuisse scriptum quo *graviores totius* belli peloponnesiaci res repetiverit, idque a sophista opus verum in epitomen cogente et cum Thucydide conjungente omissum esse cum ad epitomen non quadraret. Nuper tamen Grosser

---

[1]) Dittrich-Fabricius l. l. — Campe interpr. l. l. 9.

[2]) XIII 42: *Ξενοφῶν καὶ Θεόπομπος ἀφ' ὧν ἀπέλιπε Θουκυδίδης τὴν ἀρχὴν πεποίηνται.*

[3]) h. e. auctoris secundae trium Thucydidis vitarum, quae Marcellini nomine circumferuntur (Thuc. ed. Krüger II 185 sqq.) §. 45: *τὰ δὲ τῶν ἄλλων ἐξ ἐτῶν πράγματα ἀναπληροῖ ὅ τε Θεόπομπος καὶ ὁ Ξενοφῶν, οἷς συνάπτει τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν.*

[4]) §. 5 (Krüger l. l. 196): *τὰ δὲ μετὰ ταῦτα ἑτέροις γράφειν κατέλιπε, Ξενοφῶντι καὶ Θεοπόμπῳ.*

[5]) ad Pompej. 4, 778 R.: *Ξενοφῶν ἔγραψε — — καὶ τρίτην ἔτι τὴν Ἑλληνικήν, καὶ ἣν κατέλιπε Θουκυδίδης, ἔν ᾗ καταλύονται κτλ.*

[6]) de quibus J. Classen (ed. Thuc. I² XC) ita judicat: „es wird auch der scharfsinnigsten combination nicht gelingen, bei dem mangel an sicheren zeugnissen über diese puncte ins reine zu kommen."

[7]) Aliter tamen judicat Campe, nov. ann. phil. 105, 709 sqq. (contra quem cfras Grosserum progr. 10), atque plane aliam sententiam nuper professus est E. de Leutsch, Philol. XXXIII 97.

[8]) Satis habeo praeter Volckmarum l. l., quem auctorem laudavit Cyprianus, et C. G. Kruegerum, studd. hist. phil. I 258, referre ad Buechsenschuetzium, Philol. XIV 510 sqq. cui assentitur etiam Grosser, cfr. nov. ann. phil. 105, 26: „der umstand dasz der anschlusz kein völlig genauer ist," progr. 11: „der anschlusz ist ein ziemlich genauer, d. h. was man so gewöhnlich nennt."

[9]) pag. 48: *διότι οἱ ἀντιγραφεῖς, ὡς εἰκός, εἰς τὴν ἀρχὴν τῶν βιβλίων κατέβαλλον τὴν μεγαλειτέραν ἐπιμέλειαν.* — simillime E. Jungmann l. l. 143 statuit Alexandriae prooemium verum ejectum esse ut conjungerentur Hellenica cum Thucydide.

[10]) 95, 739 sqq. cfr. progr. 11.

[11]) Hac in re Haenel, l. l. 24 cum Grossero consentit, addens tamen, illo argumento epitomen non probari.

cum haec sententia ipsi non placeret, paulo aliam protulit[1]): et verum Thucydidis opus et veram historiam graecam ab uno eodemque sophista „*scholarum in usum*“ in epitomen esse coacta, illum forte fortunā servatum, Hellenica vera omissa esse: quam tamen hypothesin aliquo argumento probare ne tentavit quidem Grosser; et profecto vix inveniet quo talem sententiam possit sustentare.[2])

Jam vero iidem Cyprianus et Grosser post Plutarchi aetatem Hellenicorum epitomen esse confectam ſtatuentes nimis leviter illa testimonia neglexerunt. Credi enim nequit, opiniones locis illis traditas de Xenophonte Thucydidei operis editore, de materiis a Thucydide collectis usurpatis a Xenophonte, alias partim falsas et fabulosas partim etiam veras aut verisimiles, ortas fuisse Diogenisque tempore circumlatas, nisi re vera cum Thucydidis fine initium Xenophontis arcte cohaesisset aut cohaerere visum esset. — Diogenes vero ante Christum natum cum vixisset et scripsisset, ejus jam tempore exordium Hellenicorum ea conditione fuisse sumendum est qua nunc habemus. Inde igitur sequitur aut jam ante Diogenis aetatem epitomen fuisse confectam (quod Cyprianus et Grosser statuere non possunt, cum opus verum simul et unā cum epitome complura per saecula vix exstitisset) — aut, si duobus tribusve saeculis post Diogenis vitam liber Xenophontis in epitomen coactus est, ut Cyprianus Grosser Campe sumunt, initium non ab epitomatore decurtatum esse, sed aut a Xenophonte ipso non alia ratione scriptum aut a librario mutilatum. Sine dubio nonnullas lacunas in hoc exordio libri Xenophontei agnoscere debemus[3]), quod facile possumus, quia, ni fallor, *initia librorum saepissime mutilata sunt a librariis*[4]). — Quod Cyprianus (pag. 48) dicit, codicum auctoritate lacunas illas non firmari, cum lacunarum signa in eis non inveniantur, quamquam non omnes ex uno sint descripti[5]), id et in universum non magni est momenti et plane nihil valet in libris manuscriptis qui Xenophontis historiam graecam exhibent.

Sed ne hoc quidem argumento sententiam illam refutari cum me ipsum non fugeret, ad ea jam transeundum mihi videtur, quibus Cyprianus et Grosser thesin probare studebant. Quorum argumentorum duo praecipue sunt genera: exteriora (*λόγοι ἐξωτερικοί*), ex testimoniis antiquis, interiora (*λόγοι ἐσωτερικοί*), ex opere ipso sumpta, quibus Cyprianus addit alia argumenta ex opusculis hausta quae Xenophontis nomine circumferuntur (*λόγοι ἐκ τῶν μικρῶν συγγραφῶν τοῦ Ξενοφῶντος*).

Primum et Cyprianus[6]) et Grosser[7]) laudes repetunt, quibus antiqui Xenophontem extulerint, e quibus colligendum dicunt, illis Hellenica alia nota fuisse ac nobis. Afferunt igitur verba Dionysii Halic., Luciani, Hermogenis, Diodori, Diogenis, Ciceronis, Quinctiliani,

[1]) 105, 26; cfr. progr. 11.

[2]) Dicens, „durch jenes wunderliche spiel des zufalls, welches so unberechenbar gewaltet — — ist glücklicherweise der echte Thukydides (*schon um seiner unsterblichkeit willen*) erhalten, während seine epitome verloren gieng, *weil sie neben dem originale keinen allgemeinen werth mehr hatte;* die hellenica traf das entgegengesetzte schicksal,“ plane non reputavit, etiam Hellenica vera (si aliquando exstiterunt) ex sua ipsius sententia *immortalia* fuisse atque sine dubio etiam eorum epitomen praeter ea ipsa plane nihil valuisse. Cfr. quae praeterea contra hoc mirum inventum profert Haenel l. l. 25; cfr. etiam Beckhausium, Z. G. W. 1872, 260.

[3]) cum Buechsenschuetzio, Philol. XIV 508 sqq., et — ne plures afferam, Ludwigio, nov. ann. phil. 95, 151 sqq., qui tamen nonnulla minus recte disputasse mihi cum Grossero (95, 740) videtur.

[4]) Nitsche l. l. 38.

[5]) Ita etiam judicat Lud. Dindorf, edit. Teubn.[3] pg. XVII: „fugere non potest, nullum superesse ejusmodi codicem, qui ceterorum possit archetypus haberi, unde illi ita sint ducti, ut quicquid habent peculiare nullius sit fidei.“

[6]) pg. 22 sqq. [7]) 93, 725 sqq. cfr. progr. 13, §. 7.

Dionis Chrysostomi, auctoris vitarum X oratorum: quibus omnibus, cum Xenophon laudatus sit *δίκαιος συγγραφεύς*, *Ἀττικὴ μοῦσα*, *μελίσση* etc., probari putant temporibus illorum hominum omnium opus Xenophontis verum (*τὴν πρωτότυπον*) exstitisse iisque innotuisse; nam ad id solum quadrare laudes illas, quae absurdae essent si referrentur ad Hellenica nobis tradita, ab hominibus doctis nunc tam saepe tamque acerbe vituperata.

Sed judicia rhetorica et aesthetica, quae dicuntur, illorum hominum a nostris saepe recedere, nostra ex sententia illos saepe falso judicare, inter omnes constat; ipsius, ut hoc exemplo utar, Dionysii Halic. judicium de Thucydide prolatum non ab omnibus partibus justum et rectum esse C. G. Krueger optime et luculentissime probavit[1]). — Et quantum omnino singulorum hominum vel doctissimorum opinionibus sit tribuendum, nostrates optime nos docere possunt: Eundem Xenophontem, quem B. G. Niebuhr acerbissime atque injustissime profecto multis modis, vituperavit et objurgavit[2]), quantis laudibus cumulaverunt Delbrueck[3]), Creutzer, alii[4])!

Deinde quo praesertim loco nituntur Cyprianus et Grosser, Dion. Hal. ad Pomp. 4 p. 778 R. §. 22, verba ita ut in codicibus leguntur falsa esse a C. G. Kruegero jam dudum erat probatum (in annot. ad l.) id quod Cyprianus et Grosser plane ignorare videntur[5]). Verba sunt haec: *ὕψος δὲ καὶ κάλλος καὶ μεγαλοπρέπειαν καὶ τὸ λεγόμενον ἰδίως πλάσμα ἱστορικὸν Ἡρόδοτος ἔχει· οὐ γὰρ μόνον οὐκ ἴσχυσε [ὁ Ξενοφῶν] τοῦτο παρ' αὐτοῦ λαβεῖν, ἀλλά κἂν ποτε διεγεῖραι βουληθῇ τὴν φράσιν, ὀλίγον ἐμπνεύσας, ὥσπερ ἀπόγειος αὖρα ταχέως σβέννυται· μακρότερος γὰρ γίνεται τοῦ δέοντος καὶ τοῦ πρέποντος καὶ οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ἐφάπτεται τῶν προσώπων εὐτυχῶς, ἀλλ' ἐν πολλοῖς ὀλιγωρός ἐστιν ἂν τις ὀρθῶς σκοπῇ.* Mirum est quod ex toto hoc loco, qui profecto non ita multum laudis continet, illud solum enuntiatum a Grossero et Cypriano allatum est, quo dicendi genus Xenophontis copiosum nominatur (*μακρότερος — — πρέποντος*)[6]). Quae verba per se sola spectata, sententiarum connexu plane neglecto, probarent sane, Dionysio innotuisse scripta Xenophontis ita comparata, ut multis locis justo fusius res narratae essent. Quae etiamsi vera Dionysii sententia esset, tamen his verbis thesis illa nondum probari mihi videretur. Contenderem enim revera apud Xenophontem, revera etiam in Hellenicis multos inveniri locos necessario copiosiores; afferrem judicium, quod de ducibus ad Arginusas qui vicerant Athenis habebatur, afferrem Theramenis exitum, afferrem narrationem illam de Otye et Spiridate atque alia multa.

Verum enim vero accurate si consideramus[7]) verba illa Dionysii, intelligimus eis vituperari Xenophontem quod non assecutus sit *ὕψος* et *κάλλος* et *πλάσμα ἱστορικὸν* Herodoti; ad quae minime quadraret, si nimis fuse de multis rebus locutus esse idem Xenophon diceretur. Nam cum historico vix crimini dandum esset, quod quam accuratissime et copiosissime omnia enarraverit, tum hoc non congrueret cum eis quae antecedunt *κἂν ποτε κτλ.*, atque Dionysius, qui hoc ipso loco Herodoti *μεγαλοπρέπειαν* laudavit, Xenophonti copiosam dictionem opprobare

[1]) in edit. historiographicorum Dionysii. cfr. J. Classen edit. Thuc. I[2] pag. LVI sqq.

[2]) rh. mus. I (1827) 194 sqq.

[3]) „Xenophon. zur rettung seiner durch B. G. Niebuhr gefährdeten ehre dargestellt.“ 1829.

[4]) cfr. G. Sauppe edit. Tauch. IV pag. IX sq.

[5]) nunc, progr. 15 Gr. dicit: „die conjectur *μικρότερος* verwerfe ich *von meinem standpunkte* (!)“. — Cyprianus *Φιλίστωρ* 347: *ἀλλ' ἐγὼ θὰ φωνάζω, ἕως ἂν ζῶ, πῶς πρέπει νὰ μείνῃ τὸ μακρότερον.*

[6]) cfr. Haenel pag. 7: Kyprianos hält sich immer nur an den *wortlaut* der einzelnen Sätze, ohne den zusammenhang dieser sätze sowohl unter einander als mit dem ganzen capitel zu prüfen. cfr. pag. 10.

[7]) Haenel pag. 6 sqq. totum locum Dionysii tractans recte veram ejus sententiam contra Cyprianum et Grosserum exposuit.

non posset. His potissimum argumentis adductus sum, ut cum A. Schaefero[1]), A. Müllero[2]), Haenelio[3]) probem atque in verborum contextum recipiendam putem conjecturam Kruegeri, qui *μικρότερος* scribi jussit pro *μακρότερος*. — Quae quidem Krueger addit: „Xenophontem in multis justo copiosiorem esse non videtur argui posse", et „ineptus videretur Dionysius, ut qui Xenophontem *μακρολογώτερον* diceret quam Herodotum", nullius momenti sunt ad Cyprianum et Grosserum refutandos, quippe qui contendant, *sibi persuasum esse* opus verum Xenophonteum tantum aliquando fuisse ut revera atque jure *μακρολογώτερος* Herodoto Xenophon dictus esse posset[4]). Maxime vero Kruegeri conjectura firmatur atque sententia Cypriani et Grosseri refutatur alio quodam loco, quem laudavit Krueger (quem tamen etiam illi plane negligunt), de vett. script. cens. 426: *Φιλίστου δέ καὶ Ξενοφῶντος ὁ μὲν Ξενοφῶν ζηλωτὴς Ἡροδότου ἐγένετο κατά τε τὰς πραγματικὰς καὶ τὰς οἰκονομικὰς καὶ τὰς ἠθικὰς, τῇ δὲ διαλέκτῳ πῇ μὲν ὅμοιος [Ἡροδότου] πῇ δ' ἐλάττων. Ἐκλεκτικὸς μὲν γὰρ καὶ καθαρὸς ὀνόμασι καὶ σαφὴς καὶ ἐναργὴς καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν ἡδὺς καὶ εὔχαρις καὶ πλείων ἐκείνου*[5]). *Ὕψους δὲ καὶ μεγαλοπρεπείας καθόλου τοῦ ἱστορικοῦ πλάσματος οὐκ ἐπέτυχεν· ἀλλ' οὐδὲ τοῦ πρέποντος τοῖς προσώποις πολλάκις ἐστοχάσατο, περιτιθεὶς ἀνδράσιν ἰδιώταις καὶ βαρβάροις ἐσθ' ὅτε λόγους φιλοσόφους λέξει χρώμενος διαλόγοις πρεπούσῃ μᾶλλον ἢ στρατιωτικοῖς κατορθώμασι.* Quo loco et probatur non ab omnibus grammaticis et rhetoricis uno ore laudatum esse Xenophontem, et Dionysii quoque illis verbis eum reprehendi. —

Sed verbis quoque Xenophontis ipsius Grosser[6]) probare posse sibi visus est, ab eo fusius omnia narrata fuisse quam nunc in Hellenicis legantur. Verba enim IV. 8,1: *τῶν πράξεων τὰς μὲν ἀξιομνημονεύτους γράψω τὰς δὲ μὴ ἀξίας λόγου παρήσω*, plane falsa esse et falsa demonstrari a Xenophonte ipso affirmat Gr., si historiam graecam talem ipse scripsisset atque edidisset, qualem nunc haberemus, in qua multae res *ἀξιομνημόνευτοι* omissae essent (affert Gr. mortem Alcibiadis et Socratis, legationes pacis faciendae causa a Lacedaemoniis bis Athenas missas), aliae brevissime narratae (velut pugnae ad Cnidum, ad Naxum, ad Leuctra commissae, decadarchiae a Lysandro institutae, 30 tyrannorum electio, pax Antalcidea) contra aliae multo fusius relatae. — Contra quam argumentationem haec moneo: Primum verba illa tam arcte cohaerent cum aliis (totum enim enuntiatum, quod Gr. prudenter non exscripsit, est hoc: *ἐν ᾧ δὲ πάντα ταῦτα ἐπράττετο, τὰ κατὰ θάλατταν αὖ καὶ τὰς πρὸς θαλάττῃ πόλεις γενόμενα διηγήσομαι καὶ τῶν πράξεων κτλ.*), ut ad ea etiam sola quae praecedunt referenda sint, ad *τα κατὰ θάλατταν*, ad pugnas navales in bello Corinthiaco commissas; *neque vero ad omnes res quarum historiam conscripsit Xenophon.* Deinde nos omnino statuere nequimus, quid Xenophonti memorandum fuerit quid fuse exponendum, cum nos plane non possimus judicare quid illi *ἀξιομνημόνευτον* visum sit: quae enim vox, ut aliae ejusmodi, non absolutam aliquam habet sententiam, sed plane relativam, cum secundum indolem, secundum ingenia et animos diversi homines de diversis rebus diverso modo existimarent, atque diversa memoratu digna et accu-

---

[1]) Abrisz der quellenkunde der gr. gesch.[1] pg. 37.

[2]) l. l. pg. 92. cfr. etiam Pantazidam l. l. 71.

[3]) l. l. 10. Ipse tamen Haenel pg. 11 ostendit, quomodo Grosseri sententia refutari posset etiamsi Kruegeri conjecturā rejectā cum codicibus legeremus *μικρότερος*: Verba enim haec omnia Dionysii referenda sunt ad *τύπον λεκτικόν* neque vero ad *τύπον πραγματικόν*.

[4]) Cyprianus, *Φιλίστῳ* 347: *διότι ἀληθῶς ὁ Ξεν. εἶναι τοῦ Ἡρ. πολυλογώτερος.*

[5]) Meum hic non est de dubiis hujus loci verbis disserere non magis quam de Dionysii, de quibus omnibus adeas commentarium Kruegeri.

[6]) 93, 726; cfr. progr. 15, ubi etiam affert verba quae leguntur VII 2, 1, quae tamen non magis pro eo facere equidem contendo.

rate narranda putarent. Talibus, de quibus nostra semper ex sententia existimamus, probare numquam possumus lacunas esse statuendas neque in Xenophonte neque in alio quopiam scriptore.

Quod vero ex Dionysii Halic. loco laudato denique collegerunt Cyprianus et Grosser[1]), eum invenisse in historia graeca *ἀρχὰς πρεπωδεστάτας*, et quod inde statuerunt, hunc librum non uno tenore fuisse scriptum, sed per tria tempora, ut tres essent partes, apto exordio aptoque fine quaeque instructa, cum nunc ne unum quidem exſtaret aptum exordium, id quantum valeat quisque videt. Nam primum plane non probatum est, Dionysium Xenophontis historiam graecam ipsam ante oculos habuisse[2]), videntur potius de aliis ejus operibus illa dicta esse, deinde etiamsi ad hiſt. gr. illa verba potissimum pertinerent, nihil tamen valerent, cum non de operum aut librorum exordiis intelligenda sint, sed de *rebus* a quibus initium capitur.[3])

Alia argumenta *ἐξωτερικὰ* Cyprianus et Grosser ex Anabasi ejusdem Xenophontis hauriunt.[4]) Primum enim multis ejus libri locis ita egisse dicunt scriptorem, ut res tangeret tantum, quasi alibi accuratius expositae essent. Cujus rei hoc affertur exemplum: In primo Anabaseos libro, ubi copias Cyri enumerat Xenophon, neque a Cyro Lacedaemona missos nominat, qui auxilium peterent, neque auxilia a Lacedaemoniis Cyro missa, id quod *παράδοξον* Cypriano videtur, cum Cyrus Lacedaemoniorum auxilia plurimi fecerit et ab eis ad bellum sit instigatus auctore Isocrate[5]). Contra Kruegerum[6]) et Sieversium[7]) hanc rem ita explicantes ut dicerent, Anabasim eo tempore scriptam esse „quo Lacedaemoniorum interesset regem Persarum amicum habere," laconismo igitur Xenophontis tribuendum esse, quod auxilium Lacedaemoniorum non ſatis commemoraret[8]), quinque profert argumenta, quibus tamen partim plane inanibus partim ridiculis nihil probari affirmo, cum singula enarrare longum sit. — Talibus enim difficultatibus etiam recte detectis *Hellenicorum* forma in dubium vocari prorsus nequiret, cum in eis de hoc auxilio satis sit dictum III 1, 1, efficeretur potius ut de *Anabaseos* vel authentia vel integritate dubitaremus, in qua tamen copiae Lacedaemoniorum Cyro missae commemorantur duobus locis: I 2, 21; 4, 2 sqq.[9])

Deinde Cyprianus et Grosser[10]) locum tritissimum illum laudant, qui legitur An. II 6, 4: *ὁποίοις λόγοις [Κλέαρχος] ἔπεισε Κῦρον ἄλλῃ γέγραπται.* Editorum rationem, qui annotant, memoriae vitio Xenophontem ita scripsisse, nihil valere dicens Gr. aliam proponit: haec a Xenophonte in Hellenicis tractata nunc omissa esse epitomatoris culpa: quae tamen ratio multo minoris est aestimanda. Unde enim scimus, in hiſtoria graeca vera Clearchi cum Cyro col-

---

[1]) Cypr. pag. 23; — Grosser 95, 742.

[2]) cfr. Od. Schambach l. l. 15 sq., qui aliis argumentis probat hunc librum Xenophontis a Dionysio non inspectum esse.

[3]) cfr. Haenel l. l.

[4]) Cypr. 26 sqq.; Gr. 93, 727.

[5]) Laudat Cypr. duos locos Isocr. XII 104; VIII 98; sed posteriore loco nihil legitur nisi hoc: *[οἱ Λακεδαιμόνιοι] ἐπὶ τὸν βασιλέα Κλέαρχον καὶ στρατιὰν ἀνέπεμψαν*, quae ne vera quidem sunt, priore dicit profecto Isocr., Lacedaemonios *persuasisse* Cyro ut regnum appeteret, sed quanta talibus in rebus sit fides Isocratis, omnes haud ignoramus.

[6]) „de authentia et integritate Anabaseos Xenophonteae" pag. 4 not. 12.

[7]) „Geschichte Griechenlands" pag. 42.

[8]) quae ego quoque recta non puto cum mihi probata sit sententia Nitschii 28 sqq., *post* pacem demum Antalcideam libros I et II confectos esse.

[9]) cfr. Haenel 16; A. Müller, l. l. 92.

[10]) Cypr. 28; Gr. 93, 727; cfr. progr. 13.

loquium fuisse expositum?[1]) quo jure conjicitur, de expeditione Cyri in Hellenicis accuratius fuisse actum, cum dubium vix esset, Xenophontem jam tum cum priores Hellenicorum libros scriberet, in animo habuisse, illam expeditionem singulari libro enarrare?[2]) Cum vocem illam q. e. ἄλλῃ ad aliud prorsus opus alius scriptoris spectare compluribus e causis non sit verisimile[3]), atque etiam vix statui possit, eam referendam esse ad locum aliquem nunc omissum Anabaseos ipsius, mihi cum editoribus de memoriae vitio cogitandum videtur.[4])

Quae de Dionysii Halic. τεχν. ῥητορ. 9, 12 pg. 358 R. Cyprianus (pg. 29 sq.) protulit[5]) omittens, cum rectissime de hoc loco egerit Haenel[6]) atque ita ut non habeam quod addam, ad aliud transeo argumentorum ἐξωτερικῶν genus.

Afferunt enim Cypr. et Gr.[7]) locos lexicographorum antiquorum et grammaticorum, quibus verba quaedam tamquam Xenophontea laudantur, quae in eis quos nunc habemus libris Xenophonteis aut omnino non inveniuntur aut aliis locis quam illi dicunt. Inde vero argumentum petentes quo thesin probarent, primum plane obliti sunt, haud ita magnam esse lexicographorum illorum fidem, cum aliis multis de causis, tum quod sine dubio editionibus utebantur scriptorum in quibus opera eorum aliter in libros et partes distributa erant atque in eis quibus nos utimur. Tali modo sine ulla difficultate explicatur, qui factum sit, ut Stephanus vocem Ὄλουρον laudet ex Xenophontis sexto decimo libro, ut Harpocratio vocem Πενέσται afferat ex tertio libro Hellenicorum quam nunc legimus II 3, 36 etc.[8]). — Afferentes vero eos etiam omnes grammaticorum locos, quibus libri titulo non addito solum nomen Xenophontis laudatur, non reputaverunt, eis, si voces allatae in nullo nunc Xenophontis libro leguntur, eodem jure quo historiam graecam unumquemque ejus librum in epitomen coactum probari posse.[9]) Singulos locos hīc tractare supervacaneum puto. De nonnullis A. Müller rectius judicavit[10]), de ceteris praeter Heilandium[11]) conferas G. Sauppium[12]) qui demonſtravit, Xenophontis nomen

---

[1]) Cypr. 29 et *Φιλίστωρ* 349 sq. statuit quidem, Clearchi vitam fuse a Xenophonte descriptam fuisse in Hellenicis, sed nullum affert argumentum. — Haenel pag. 18 sq. fere assentitur Cypriano lacunam in Hellenicis statuendam esse affirmanti.

[2]) cfr. Nitsche 42.

[3]) quarum principem Gr. recte affert hanc: „Xen. hätte seine Anabasis gar nicht zu schreiben brauchen, wenn er in wichtigen dingen nur auf andere verweisen wollte," qua causa Bisschop refutatur (cfr. G. Sauppii ann. crit. ad l.) qui *ἄλλοις* scribi jussit.

[4]) Eadem est sententia *Πανταζίδου* l. l. 72, contra quem frustra disputans Cyprianus, *Φιλίστωρ* l. l. 349, contendit: propter breve spatium quod intercedat inter duos locos Anabaseos, quibus Clearchus cum Cyro quae egerit narrantur (I 1, 9 et II 6, 4), memoriae vitium statui non posse: *ἐν οὕτω στενῷ τόπῳ δὲν σφάλλει οὐδὲ κοινοῦ ἀνθρώπου μνήμη, πολλῷ δὲ μᾶλλον ἀρχαίας κεφαλῆς*, quae prorsus inania sunt.

[5]) assentiente Grossero 93, 732.

[6]) l. l. 12 sqq.

[7]) Cypr. 36; *Φιλίστ.* 353 sq. — Gr. 93, 727 sq.

[8]) cfr. A. Schaefer, nov. ann. phil. 101, 523 sqq., praecipue 527 et 528. — Haenel l. l. 22 sq. — Etiam Thucydidis opus diversis modis in libros fuisse distributum constat, cfr. J. Classen l. l. pag. XC sq. — A. Graefenhan l. l. 190; K. W. Krüger studd. hist. phil. I 259; Aem. Müller de Xen. h. gr. parte priore 2; Nitsche 6; Buechsenschuetz Philol. XIV 518 sq.; Schambach 17, ann.; *Πανταζίδης* 78: *ὅτι ἡ τῶν ἀρχαίων συγγραμμάτων εἰς βιβλία διαίρεσις εἶναι πολὺ ἀβέβαια, γενομένη ὑπὸ τῶν μεταγενεστέρων καὶ οὐχὶ τῶν συγγραφέων αὐτῶν.*

[9]) quod etiam Gr. ipse contra Cyprianum profert, progr. 13, ann. 56.

[10]) l. l. 93.

[11]) „de reliquiis Xenophonteis qui dicuntur" Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1847, 604 sq.

[12]) „de fragmentis Xenophontis", edit. Tauchn. V 293 sqq. — *Πανταζίδης* l. l. 79: *ἔστι φανερὸν ὅτι αἱ τοιαῦται ἀπορίαι δύνανται καὶ δι' ἄλλων ὑποθέσεων νὰ λυθῶσι, πολλαὶ δὲ καὶ ἤδη ὀρθῶς ἐλύθησαν, τότε δὲ μόνον κατὰ τὸν Κυπριανὸν ἐξηγοῦνται, ὅταν ἀλλαχόθεν ἀποδειχθῇ τῶν Ἑλληνικῶν ἡ ἐπιτομή.*

a lexicographis falso saepius esse dictum pro Antiphontis Platonis Thucydidis Luciani Plutarchi Xenophanis, et exempla attulit librorum et numerorum falso laudatorum, ut satis et affatim appareat, ex eis argumentum peti non posse quo ullius Xenophontei libri authentia vel integritas in dubio ponatur.

Ad interiora nunc argumenta (*λόγους ἐσωτερικούς*) pergo quae prolata sunt a Cypriano et Grossero[1]). Quae cum essent plurima et quidem tot, ut etiamsi dimidia tantum eorum pars exscriberetur, Hellenicorum explicatio evaderet neque vero quaestio de eis, simplicissima tantum atque firmissima se attulisse dicit Cyprianus[2]). Et Grosser paucos tantum tractavit locos, dicens, se argumenta quae maximi momenti essent[3]) ob parce concessum spatium non exposuisse. Magnopere igitur dolendum videtur, eum nondum — id quod anno 1866 pollicebatur — omnia argumenta publici fecisse juris[4]). Nunc cum pauca tantum protulerit „ex maxima argumentorum copia" quibus nihil nisi efficere vult ut „in officinam studiorum Xenophonteorum inspici possit"[5]), aegre ferre non debet nos ex paucis illis de universa thesi judicium ferre.

Ut igitur singulos locos tractem, primum de nonnullis accuratius agendum mihi erit, quibus ob textum qui vocatur ipsum lacunae statuuntur, epitomatoris igitur manus deprehenditur, deinde vero de aliis, quos comparatis Plutarchi vitis Alcibiadis Lysandri Agesilai nunc non vera forma legi Cyprianus et Grosser demonstrabant.

Prioris generis permulta exempla protulit Cyprianus; qui tamen, cum multis quae disputavit sagacem et nimis subtilem se praeberet[6]), hos locos tractans saepe ita egit ut de doctrina ejus paene videretur esse dubitandum. Talem enim sententiam de eo ferre audeo videns eum offendere in multis locis sanissimis, eum saepe prorsus non intelligere verba simplicissima et ad intelligendum facillima.

Sic offendit in verbis quae leguntur I 1, 31: *καὶ δόξας τὰ ὄντα λέγειν* [*Ἑρμοκράτης*], quaerens quaenam fuerint haec[7]), cum per se pateat esse ea quae protulerit Hermocrates *κατηγορήσας ἐν Λακεδαίμονι Τισσαφέρνους*, et significare „vera". Cujus quidem significationis cum non multa inveniantur exempla, Xenophontea tamen in promptu sunt alia quattuor haec: *ὅπως σαφῶς τὰ ὄντα ἐξαγγείλειεν* Kyrop. VI 3, 15; *ἐδόκει ἀληθεῦσαι πολλὰ τοιαῦτα, τὰ ὄντα ὡς ὄντα καὶ τὰ μὴ ὄντα ὡς οὐκ ὄντα* An. IV 4, 15[8]); *νομίζοντες τὰ ὄντα εἰρηκέναι αὐτὸν* Sympos. 4, 45; *τὸ ἐναντιώτατον ὑπειλήφασι τοῦ ὄντος* rep. Lac. 11, 5.

Similiter offendit Cypr. in verbis Thrasybuli II 4, 42: *ἀξιῶ ἐγὼ ὧν ὀμωμόκατε παραβῆναι*

[1]) Cypr. inde a pag. 42; Gr. 93, 728 sqq.

[2]) pag. 42: *λόγοι ἐκ τοῦ βιβλίου αὐτοῦ λαμβανόμενοι ὑπάρχουσι τόσοι πολλοί, ὥστε ἂν ἀνεγράφοντο μόνον οἱ ἡμίσεις, ἡ πραγματεία δὲ ἐφαίνετο ἑρμηνεία τοῦ βιβλίου καὶ ὄχι γενική τις περὶ αὐτοῦ κρίσις· — ἐκ τῶν διαφόρων εἰδῶν τῶν λόγων ἀναγράφονται ἐνταῦθα μόνον οἱ ἁπλούστατοι καὶ ἀσφαλέστατοι.*

[3]) „die schlagendsten beweise" 93, 728.

[4]) 93, 722; cfr. 105, 724; progr. 1.

[5]) „welche bruchstücke einen einblick in die *werkstätte* meiner xenophontischen studien gewähren" 93, 725.

[6]) Aem. Müller l. l. 93: „ein aufgeweckter kopf und unverzagter dialectiker". — Haenel l. l. 6: „durch eine neue, kühne und eben wegen ihrer kühnheit seine, wie es scheint, sehr lebhafte phantasie höchst anregende hypothese." cfr. 33. — Gött. gel. Anzeigen 1872 pag. 1161: „noch mehr als seine erstlingsschrift *περὶ τῶν Ἑλλ. τ. Ξ.* enthält ganz eigenthümliche und *paradoxe* ansichten das vorliegende werk des *Κυπριανός*, *τὰ ἀπόρρητα τοῦ Ἰσοκράτους*." — Grosser, progr. 2: „leider ist er (Cypr.) dabei vielfach zu kühn und weit vorgegangen, als dasz seine schrift frei von irrthümern sein könnte."

[7]) pg. 54: *ἀλλὰ τίνα ἦσαν ταῦτα τὰ ἀληθῆ; οἱ ἀναγνῶσται δὲν γνωρίζουσι τίποτε.*

[8]) ad q. l. Krueger laudat Thuk. VI 60, 2; cfr. etiam Thuk. VII 8, 2.

οὐδέν, cum nulla juris jurandi mentio facta sit.[1]) Verum tamen lacuna statuenda esse mihi non videtur; nam cum semper foedera icentes Graeci jurarent, in verbis, quae legimus in §. 38: *οἱ δὲ διήλλαξαν ἐφ' ᾧτε κτλ.* juris jurandi mentio inest. — In hac ipsa paragrapho Grosser[2]) mira („befremdlich") dicit verba *οὐ μέντοι γε ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες, ἄξιῶ ἐγῶ — οὐδέν*; quae cum non ad urbanos dicta essent, quos allocutus est Thrasybulus §. 40: *ὑμῖν, ὦ ἐκ τοῦ ἄστεος ἄνδρες* sed ad ipsius Thrasybuli sodales, hos nominatim appellari necesse putat hoc fere modo: *ὑμᾶς δέ, ὦ ἐκ τοῦ Πειραιῶς ἄνδρες.* Sed primum quaero, quo jure sodales Thrasybuli, cives igitur exsules, appellarentur *ἐκ τοῦ Πειραιῶς ἄνδρες*; deinde puto, Thrasybulum ad sodales se convertentem ipso corporis habitu significasse, ad eos haec verba pertinere, id quod etiam ex oppositione verborum quae exscripsi ex §. 40 et horum quae tracto sequitur. Plane eodem modo comparata sunt haec Agesilai verba (IV 1, 14): *ἐμοὶ δοκεῖ, σὲ μὲν, ὦ Σπιθριδάτα, τύχῃ ἀγαθῇ διδόναι ὅτῳ τὴν θυγατέρα, σὲ δὲ* (scil. *ὦ ὅτῳ*) *λαμβάνειν.*

Saepe Cyprianus epitomatorem deprehendisse sibi visus est in locis ubi particulae *μέν* in enuntiato quodam positae non respondeat particula *δέ*, aut ubi duo cola per particulas *μέν — δέ* conjuncta non accurate se excipiant, h. e. non ita ut verba sibi opposita eundem in utroque enuntiato teneant ordinem. Primum igitur neglexit usum particulae *μέν* solitarium qui dicitur, cujus exempla permulta possunt afferri[3]); deinde vero non reputavit, neque apud Xenophontem neque apud alium quemcunque scriptorem graecum exigendum esse ut duo illa cola semper accurate se excipiant[4]). —

In verbis quae leguntur IV 1, 24: *τὸ στρατόπεδον ἁλίσκεται — καὶ ἄλλα δὴ οἷα Φαρναβάζου κτήματα*, explicari non posse dicit Cyprianus vocabulum *οἷα*, nisi ab epitomatore omissa putarentur nonnulla verba qualia *καὶ ἄλλα [δὲ σκεύη πολυτελῆ] οἷα δὴ κτλ.* —[5]) Optime hoc vocabulum explicari posse et quisque videt et demonstrarunt editores („quae Pharnabazum habuisse credibile est"), e quibus tamen Breitenb. minus recte Dindorfii emendationem, *καὶ ἄλλα οἷα δὴ* scribi jubentis pro *καὶ ἄλλα δὴ οἷα*, perperam factam censet. Dindorf enim recte dicit[6]): „*δὴ* aptum est post *οἷα*, quocum etiamsi fallat Kyrop. I 2, 6, ubi omittunt optimi, junxerunt alii multi." Praeter unum locum quem in ed. Oxon. laudavit, V 2, 9[7]) alios afferre potuit velut IV 5, 4; V 4, 39; VI 4, 26; Kyr. I 3, 2; II 1, 24; IV 2, 32. — In eadem §. vox *αὐτοί*, in qua Grosser offendit[8]), ex constanti usu Xenophontis et Atticorum usurpata est, significans milites, qui erant *ἐν τῇ Φαρναβάζου στρατοπεδείᾳ*. Verba igitur quibus Xenophontem augendum putat Gr. (*αὐτοὶ*] *δ' οἱ ἀμφὶ Φαρνάβαζον*) addantur non est necesse.[9]) —

Si omnes locos eadem neglegentia et levitate tractasset Cyprianus, qua hos atque alios permultos, eum plane negligeremus; disputavit tamen etiam de aliis quos accuratius inspexisse videtur.

---

[1]) pg. 63: *πότε*; *οὐδεὶς λόγος ἐγένετο περὶ ὅρκων.* eadem est offensio Grosseri 93, 731; cfr. progr. 22: „wann, wo und was?" idem nov. ann. phil. 99, 194 in §. 39 addenda putat: *ὤμοσαν μὴ μνησικακήσειν.*

[2]) 93, 731; cfr. progr. 22; nov. ann. phil. 99, 194.

[3]) cfr. Breitenb. ad III 1, 5; IV 1, 7. Krueger gramm. 69, 35, 2. Kuehner §. 531, 2 = II pag. 813 sq.

[4]) cfr. Krueger ad Dion. Halic. 264, Thucydidea hujus *ἀναλλλίας* exempla qui laudat; gramm. 69, 16, 1; 35, 3. Haenel. 31. — Kuehner §§. 528; 531, 1 = II pag. 810 sq.; 813.

[5]) pg. 72: „*τὸ οἷα εἶναι ἀνεξήγητον, ἂν δὲν ὑποτεθῇ ὅτι ὁ ἐπιτομεὺς ἐξέκοψε λέξεις τινὰς ἐκ τοῦ μέσου· ἴσως παρὰ Ξενοφῶντι εἶχεν οὕτω περίπου ὁ λόγος· „καὶ πολλὰ μὲν ἐκπώματα καὶ ἄλλα δὲ σκεύη πολυτελῆ, οἷα δὴ Φαρναβάζου κτήματα ἁλίσκεται.*"

[6]) edit. Teubneriana[3] pag. XXV.

[7]) quem locum aliter comparatum esse ac nostrum Breitenb. nullo jure contendit. [8]) progr. 22.

[9]) cfr. Hom. odyss. IX: *ἔνθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον, ὤλεσα δ' αὐτούς*, et ex Hellen. ipsis I 1, 14: *Ἀλκιβιάδης ἐκκλησίαν ποιήσας παρεκελεύετο αὐτοῖς* (Breitenb. ad l. edit. 1873. Krueger ad Dion. 32.)

Nonnullis igitur locis offendit in vocabulis *ἅπαξ εἰρημένοις*, veluti I 2, 1 in voce *πλοῖον* contra usum classicorum qui dicuntur scriptorum usurpata de nave longa.[1]) Plura hujus generis congessit Jungclaussen[2]), qui Campii sententiam probaturus ex Hellenicis multa protulit, „quae vel a Xenophontis sermone ac loquendi consuetudine abhorrere vel a linguae ingenio, quale Xenophontea aetate fuerit, remota videantur.“ Laudavit igitur quae leguntur in Hellenicis ionica, inusitatas vocabulorum formas, aliaque multa, quibus tamen Campii sententiam omnino non firmavit. A G. Sauppio enim, qui de dicendi genere Xenophontis quam accuratissime egit in „lexilogo Xenophonteo“, docemur — id quod jam antea homines docti non ignoraverunt — non in Hellenicis solis talia reperiri multa, verum etiam in ceteris scriptis Xenophonteis et praecipue in eis quae sine ullo dubio genuina sint. Si comparamus exemplorum numeros, quos ille protulit[3]), intelligimus, *ἅπαξ εἰρημένα* plura inveniri in Kyropaedia et in Anabasi quam in Hellenicis, multa legi etiam in Commentariis, in Oecon., Conviv., Hierone (ut eos tantum respiciam libros quos integros et vere Xenophonteos esse vix dubitatur), quod idem valet de ionicis, de poeticis et de eis quae de consuetudine scriptorum recedunt aut omnium aut atticorum et cum recentioribus communia sunt. Etiam hujus generis in Kyropaedia 98, in Anab. 70, in Hellen. 59, in Comm. 37, in Oec. 34, in Conv. 15, in Hierone 5 exempla inveniri affirmat G. Sauppe, cum sola dorica et laconica vocabula plura legantur in Hell. (14), quam in Kyr. et in Anab. (sena), in Comm. (3), in Conv. (2). — Itaque si ex talibus rebus aliquid colligi posset, Jungclausseni rationem secuti eo perveniremus, ut majore jure quam Hellenica Kyropaediam et Anabasin, eodem fere Commentarios Oeconomicum Convivium Hieronem non integra servata diceremus sed in epitomen coacta et ab epitomatore vocabulis illis inquinata. — Tali igitur ratione non probatur illa sententia[4]). Neque etiam illud argumentum alicujus momenti videtur esse, quod haud pauca vocabula, quae semel tantum legantur in Hellenicis, apud nullum praeterea reperiantur scriptorem, nisi apud recentiores, Cassium Dionem Jamblichum alios: idem enim valet etiam de nonnullis vocabulis *ἅπαξ εἰρημένοις* quae in Anabasi ceterisve scriptis Xenophonteis usurpata sunt.[5]) Atque mirum profecto

[1]) pag. 56.

[2]) „de Campio et Büchsenschützio Xenophontis hellenicorum interpretibus“, Meldorpii 1862. cfr. Grosser progr. 19.

[3]) edit. Tauchn. V 298. cfr. I pag. XV.

[4]) cfr. Od. Schambach, l. l. 17 ann. — Grosser l. l.: „es versteht sich , dasz diese beweisart nur mit vorsicht und mehr subsidiarisch oder folgernd als zu directer begründung heranzuziehen ist.“ — C. G. Krueger de auth. et integr. Anab. 17: „Omnino enim, si quis propter vocabula alibi ab hoc scriptore prorsus non usurpata Anabasin ab eo profectam esse neget: hac ratione admissa quodvis aliud opus injuria ei tribui ostendi potest.“

[5]) Henr. Stephano (thes. s. vv.) auctore *ἀγράμματος*, quae vox semel legitur apud Xen. (Comm. IV 2, 20) deinde usurpatur ab Arriano Luciano Plutarcho Dione Chrysostomo Diogene; *ἀδρύνειν* Comm. IV 3, 8 a Theophrasto Plutarcho; *ἀθεράπευτος* Comm. II 4, 3 a Plutarcho Dionysio Halic. Luciano; *ἀθήρευτος* Kyr. I 4, 16 ab Appiano; *ἀθυμητέον* An. III 2, 23 a Philone Heliodoro; *ἀθωράκιστος* Kyr. IV 2, 31 a Plutarcho; *ἀκόντισις* An. I 9, 5 a Cassio Dione; *ἀκροβολιστής* Kyr. VI 1, 28 ab Aeliano Arriano; *ἄλιθος* An. VI 4, 5 a Polluce Aretaeo Dioscoride; *ἀλτικός* Kyr. VIII 4, 20 a Plutarcho Polluce Eustathio Aeliano; *ἀλφιτοσιτεῖν* Kyr. VI 2, 28 a Polluce; *ἀμυγδάλινος* An. IV 4, 13 a Theophrasto Dioscoride; *ἀναθαρρύνειν* Kyr. V 4, 23 a Dionysio Diodoro Plutarcho; *ἀνακλάζειν* Kyr. I 4, 15 ab Aeliano; *ἀνάσκητος* Kyr. VIII 8, 24 a Polybio Dionysio, Plutarcho Polluce Philone Dione Chrysost. Themistio; *ἀνδρειότης* An. VI 5, 11 a Timaeo Locr. Polluce; *ἀνεπιλήπτως* An. VII 6, 37 a Philone Theophilo; *ἀνταιδεῖσθαι* Kyr. VIII 1, 28 a Plutarcho; *ἀντεπαινεῖν* Kyr. VIII 3, 49 a Luciano Themistio; *ἀντερέσθαι* Kyr. II 2, 22 a Plutarcho; *ἀντιπαράγειν* Kyr. I 6, 43 a Plutarcho Porphyrio Polybio Appiano Plotino; *ἁπλοίζεσθαι* Comm. IV 2, 18 a Cassio Dione; *ἁρματηλασία* Kyr. VI 1, 27 a Luciano Aristide Cassio D.; *ἀσκαρδαμυκτί* Kyr. I 4, 28 a Luciano Polluce Galeno; *ἀχίτων* Comm. I 6, 2 ab Oppiano

non est, Xenophontem, qui plurimam vitae partem non Athenis neque in Attica sed in Ionia et in Peloponnèso dégit et qui plurima opera ultimosque etiam Hellenicorum libros senex scripsit, usurpasse multa vocabula ἅπαξ εἰρημένα (h. e. quae apud eos scriptores illius aetatis non inveniuntur, quos servatos nos habemus)[1]). Sumere etiam nostro jure possumus, talia vocabula jam tum in sermone cotidiano fuisse usurpata indeque a Xenophonte recepta, cum multo demum post in communem scriptorum usum pervenissent. Etiamsi nonnulla posterioris aetatis interpolatoribus tribuere possimus, plurima tamen e Xenophontis idiotismo orta esse videntur.

Ut jam ex ceteris quos Cyprianus attulit locis nonnullos tractem, in describenda pugna a Thrasybulo et triginta tyrannis ad Peiraeum commissa (II 4, 10 sqq.) duo proelia in unum esse coacta contendit ab epitomatore.[2]) Cujus rei tria profert argumenta: Primum offendit in verbis *οἱ τὸ δεξιὸν ἔχοντες* (§. 13), dicens hostes Thrasybuli — copias tyrannorum — in via tam angusta fuisse ut dextrum aut laevum eorum cornu discerni non potuisset (§. 11: *συνετάξαντο, ὥστε ἐμπλῆσαι τὴν ὁδὸν — — καὶ ἐγένοντο βαθὺς οὐκ ἔλαττον ἢ ἐπὶ πεντήκοντα ἀσπίδων*)[3]). Sed quidni etiam de parvae aciei dextra et sinistra sermo esse potest? Nos profecto etiamsi quinque tantum homines in ordine videmus instructos dextrum laevumque horum cornu dicere solemus; hac vero in pugna, cum praeter *φρουρὰν* Lacedaemoniorum (II 3, 14) tria fere milia hominum a partibus illorum tyrannorum fuisse sumendum sit (II 3, 18), sexageni viri in singulis ordinibus erant.

Verba deinde ejusdem §. 13: *οὓς ὑμεῖς ἡμέραν πέμπτην τρεψάμενοι ἐδιώξατε* secundum argumentum Cypriano praebent: in Hellenicis enim nobis servatis de nullo alio proelio esse dictum contendit quam de equestri illo quod ad Phylen *multo plus quinque diebus ante* pugnam Peiraeensem commissum sit[4]). Unde hoc sumpserit Cyprianus plane nescio; ex Xenophontis enim narratione colligi plane nequit, plus quinque dies intercessisse inter pugnam ad Phylen factam et Peiraeensem, de qua hoc loco sermo est.[5]) Accusativum vero temporalem, qui dicitur, etiam ita a Xenophonte usurpatum esse, ut significet quoto die ante rem aliquam altera quaedam res sit facta[6]), probant duo loci Xenophontei: Kyr. VI 3, 11: *καὶ ἐχθὶς καὶ τρίτην ἡμέραν τὸ αὐτὸ ἔπραττον* et An. IV 5, 24: *θυγατέρα ἐνάτην ἡμέραν γεγαμημένην.*[7])

Tertium vero argumentum sumit Cyprianus e voce *τρόπαια* (§. 14): Quo enim jure plurali numero utitur Thrasybulus, cum unum tantum tropaeum antea sit commemoratum?[1]) Quod

---

Manethone Duride Diodore Niceta Dionysio Plutarcho. En habes 23 voces ab una littera A omnes incipientes. — Etiam apud Thucydidem multas legimus voces *ἅπαξ εἰρημένας* vel raro usurpatas, quae apud posteriores demum iterum reperiuntur; cfr. J. Classenium, l. l. pag. LXXXII, hac de re agentem qui inter alia addit haec: „es fehlt uns der ausreichende maasstab dessen, was in der gebildeten sprache Athens damals gebräuchlich war."

[1]) cfr. Beckhaus l. l. pg. 16; 18; — Bernhardy, griech. Syntax pg. 23. — Heiland, quaest. de dial. Xen. 1.

[2]) pg. 62: *ὁ ἐπιτομεὺς ἔκαμεν ἐδῶ μεγίστην παρανομίαν, δύο μάχας ἔθλιψεν εἰς μίαν.*

[3]) l. l.: *οἱ πολέμιοι εἶναι παρατεταγμένοι ὅλοι ἐν τῇ ὁδῷ, ἔνθα δὲν εἶναι δυνατὸν νὰ διακριθῇ οὔτε δεξιὸν οὔτε εὐώνυμον κέρας.*

[4]) l. l. *ἰδοὺ ἡ ἀπόδειξις ὅτι δύο μάχας συνέθλιψεν εἰς μίαν ὁ ἐπιτομεύς. ὁ Θρασύβουλος λέγει, ὅτι πρὸ πέντε ἡμερῶν ἐκέρδισε νίκην, περὶ ἧς οὐδὲν γνωρίζουσιν οἱ ἀναγνώσται· μίαν μόνην νίκην τοῦ Θρασυβούλου γνώσκουσι, τὴν περὶ Φύλην. ἀλλ' αὕτη συνέβη ὄχι πρὸ 5 ἡμερῶν ἀλλὰ πολὺ πρότερον.*

[5]) cfr. C. Peter, Zeittafeln der griech. Gesch. pg. 87, 155. E. Curtius, griech. Gesch. III 32; Grote, history of Greece VIII 365. — Haenel, 26 sq. — Lachmann, gesch. Griechenlands I 73.

[6]) „jetzt vor" Krueger, gramm. 46, 3, 1.

[7]) cfr. Krueger ad h. l. et ad Thuk. VIII 23, 1; R. Kuehner, gramm. 410, 5 = II 1 pag. 269.

[8]) l. l. *καὶ ἄλλη ἀπόδειξις, ὅτι δύο μάχας συνεπίεσεν εἰς μίαν ὁ ἐπιτομεύς· τρόπαια πολλὰ* (ubi?) *μνημονεύει ὁ Θρασύβουλος ἐν ᾧ ἓν καὶ μόνον τὸ ἐν 6 γνωρίζουσιν οἱ ἀναγνῶσται, τὸ περὶ Φυλήν.*

proferens non intellexisse videtur Cyprianus, id quod apertissimum est, Thrasybulum omnino non loqui de eis tropaeis quae, vel de eo tropaeo quod sodales jam instruxerint, sed plane in universum disserere, dicentem, deos si velint posse ipsis etiam paucis contra multo plures hostes dimicaturis victoriam dare et occasionem tropaeorum collocandorum: Suo igitur jure pluralem numerum usurpavit Thrasybulus.

Denique etiam Diodorum pro se facere putat Cyprianus, qui XIV 32 sq. duo proelia ad Phylen duoque ad Peiraeum commissa commemoraverit[1]). Sed vereor ne egregie falsus sit Cypr. Apud Diodorum enim XIV 32 nulla omnino pugna narratur sed Phyles tantum occupatio (*Θρασύβουλος — — κατελάβετο χωρίον τῆς Ἀττικῆς ὀνομαζόμενον Φυλήν*), quam narrat Xen. II 4, 2. In c. 33 pugna refertur ad Phylen commissa, h. e. impetus ille repentinus, quo Thrasyb. effecit ut triginta tyranni se reciperent (*Θρασ. — ἐπιθέμενος τῇ τῶν ἐναντίων παρεμβολῇ νυκτὸς ἀπροσδοκήτως καὶ συχνοὺς ἀποκτείνας, τοὺς ἄλλους διὰ τὸ παράδοξον ἐξέπληξε καὶ φυγεῖν εἰς Ἀθήνας ἠνάγκασε*), quem legimus apud Xen. II 4, 6; porro a Diodoro narratur occupatio Munychiae (*Θρασ. ὥρμησεν ἐπὶ τὸν Πειραιέα καὶ κατελάβετο τὴν Μουνυχίαν*) quam refert Xen. II 4, 10, deinde pugna ad Peiraeum facta, in qua Critias ipse mortem obiit, quod etiam legitur apud Xen. II 4, 19. Denique additur apud Diodorum: post hanc pugnam nonnullos e militibus XXX tyrannorum defecisse ad Thrasybulum atque hunc subito impetu devicisse hostes et occupasse Peiraeum: *μετὰ δὲ ταῦτα συχνῶν ἀφισταμένων πρὸς τοὺς φυγάδας οἱ περὶ τὸν Θρασύβουλον ἐξαίφνης ἐπέθεντο τοῖς ἐναντίοις, καὶ μάχῃ κρατήσαντες ἐκυρίευσαν τοῦ Πειραιέως.* Quae verba ita intellexit Cyprianus ut statueret, duas pugnas diversas hic narrari a Diodoro: quae tamen sententia non recta est. Ex Diodori enim verbis plane non potest colligi, diversis diebus has pugnas factas esse, id quod tamen necessarium esset: duas enim pugnas ab eisdem copiis *eodem die* commissas unam tantum putamus. Itaque statuo, a Diodoro quoque *unam* tantum pugnam ad Peiraeum factam narrari.[2])

Aliam lacunam statuendam esse censet Cypr. III 1, 26. Dercylidae enim Meidiam interroganti, cum ipse falsa responderet, Scepsii qui aderant sponte vera referunt. Deinde denuo inquirenti verbis: *εἶπέ μοι, Μανία δὲ τίνος ἦν;* non ipse respondet Meidias, qui nunc omnino non commemoratur, sed iterum respondent Scepsii. Qui cum non jussi verba fecisse videantur, Cypr. putat[3]) omissa esse ab epitomatore fere haec: *ἐπεὶ δὲ οὗτος ἐσιώπα, ἠρώτησεν ὁ Δερκύλιδας τοὺς Σκηψίους· οἱ δὲ κτλ.* Qualia profecto verba addi quamquam poterant, tamen etiam ita ut nunc legitur locus obscurus esse non videtur. Quidni sumimus, Scepsios, qui antea responsum dederant non interrogati, cum Meidiam falsa dicentem audirent, iterum sponte verba fecisse pro Meidia, aut non exspectantes, num et quid ille ipse responsurus sit aut tacentem eum videntes? — Possumus etiam statuere motu aliquo atque gestu Dercylidam ab eis qui adfuissent postulasse ut respondeant pro Meidia.[4]) Possumus verum etiam locum ita explicare ut dicamus, Meidiam omnino non esse interrogatum verbis illis, verum Scepsios; cui sententiae non obstat imperativi (*εἶπέ μοι*) singularis numerus, quippe qui saepius in initio usurpatus sit interrogationum aut cohortationum ad complures dictarum. Profecto hunc imperativum *εἶπέ μοι* nullo alio loco apud Xenophontem inveni referendum ad complures, cum ad unam personam referendum sexcenties fere legatur; sed plane eodem modo usurpati sunt alii imperativi: *ἄγε δὴ πέμψατε*

---

[1]) pag. 63: *Καὶ ὦ τοῦ θαύματος ἔρχεται εἰς πίστιν καὶ ὁ Διόδωρος, ὅστις ἱστορεῖ δύο μάχας γενομένας περὶ Φύλην καὶ δύο περὶ τὸν Πειραιᾶ, ὅχι μίαν, ὡς ὁ ἐπιτομεύς.*

[2]) cfr. Haenel l. l. 27.

[3]) pag. 66: *διότι ἐν ᾧ ὁ Δερκυλίδας διαλέγεται μὲ τὸν Μειδίαν, καὶ ἡ ἀπάντησις περιεμένετο ἀπὸ τὸν Μειδίαν, αὔφνης ἀποκρίνονται πάντες οἱ τοῦ συνεδρίου, χωρὶς νὰ τοὺς ἐρωτήσῃ κανείς.*

[4]) cfr. Haenel l. l. 33.

Kyr. IV 2, 47; V 5, 15; Hell. VI 1, 13; *ἴθι ἐξετάσωμεν* Comm. III 4, 7: *φέρε δὴ οὖκ οἴεσθε* rep. Athen. 3, 5.[1])

Verba quae leguntur VII 1, 23 *ἐγγενόμενος δέ τις Ἀνκομήδης Μαντινεύς, γένει τε οὐδενὸς ἐνδεὴς χρήμασί τε προσήκων κτλ.* mira putans Cyprianus[2]) olim scriptum affirmat *ἐν τῷ πρωτοτύπῳ: γένος οὐδενὸς ἧσσων καὶ τῶν ἄλλων τῶν καλῶν οὐκ ἐνδεής.* Sed illius positivi *ἐνδεής* cum vi quadam comparativi (qui legitur IV 1, 6) usurpati (ita ut significet „inferior aliis“) exempla, quamquam apud Xenophontem nulla inveniuntur, ex aliis tamen scriptoribus desumpta non desunt.[3]) — Non recte Cobetum[4]) scribi jussisse *δεύτερος* hoc loco pro *ἐνδεής* et IV 1, 6 pro *ἐνδεέστερος* Buechsenschuetz[5]) demonstravit, qui praeter Kyropaediae locum, quem attulit (II 2, 1) alterum ejusdem operis laudare potuit III 3, 31: *καθορῶντες ἡμῶν τὸ πλῆθος πολὺ ἐνδεέστερον ἢ ἑαυτῶν.* — Majore jure editores recentiores omnes codicem D secuti *γένει* legunt, cum B praebeat *γένος* Quamquam enim hic codex B pessimorum omnium qui exhibent Hellenica optimus est, tamen in hujus operis critica factitanda ne illius quidem auctoritati multum est tribuendum. Jam cum accusativum quem dicimus relationis saepe usurpatum esse constet ab omnibus scriptoribus graecis[6]), atque eum etiam apud Xenophontem saepe inveniri non necesse sit probare exemplis, tamen a voce *γένος* ut ab aliis nonnullis hic usus videtur abhorrere. In Xenophontis enim omnibus libris nullum hujus accusativi inveni exemplum, cum *γένει προσήκων βασιλεῖ* legatur An. I 6, 1, *ἀνεπικλητότερον τῷ γένει καὶ τῇ ἀρετῇ* Ages. 1, 5; et cum saepe eadem fere significatione usurpatae vocis *φύσις* dativum inveniamus[7]), cujus acccusativus relationis etiam apud Xenophontem non legitur.

Paucis his locis tractatis nihil nisi rationem demonstrare volui qua potissimum Cyprianus hypothesin probare studuit, non probavit. Profecto etiam alii loci ab eo atque a Grossero laudati sunt, quibus manca et obscura est sententiarum conjunctio, quibus lacunae videntur statuendae: sed ne talibus quidem sententia illa probari potest. Oblivisci enim non debemus, in ceteris quoque scriptis statutas esse haud paucas lacunas, *et Xenophontis*[8]) et ceterorum *omnium scriptorum*. Tali si argumento probaretur opus non verum esse sed in epitomen coactum, nullum fere haberemus opus *πρωτότυπόν*.[9])

Transeo nunc ad id argumentum, quod ex Plutarcho petitum est: quem cum Dittrich-Fabricius haud ita multum valere dixerit ad sententiam probandam, Cyprianus Tell Campe Grosser summi momenti esse putant.[10])

---

[1]) cfr. Aesch. suppl. 625 *ἄγε δὴ λέξωμεν*. — Hunc usum attico sermoni esse plane consentaneum docent H. Sauppe ad Dem. in Phil. I 10; Heindorf ad Plat. Euthydem 29 = 283 b; Müller ad Ar. Ach. 319, Bernhardy, griech. syntax. 419; Krueger, griech. gramm. 54, 4, 3; 2, 1.

[2]) pg. 83: *τὸ γένος οὐδενὸς ἐνδεὴς εἶναι πολὺ παράξενον. ἴσως ἔκειτο παρὰ Ξενοφῶντι οὕτω περίπου ὁ λόγος.*

[3]) cfr. Krueger ad Thuk. I 70, 2. — Steph. thes. s. v.

[4]) nov. lectt. 373 = Mnemosyne VI 279.

[5]) Philol. XVIII 291.

[6]) cfr. Krueger, gramm. 46, 4. — Kuehner, §. 410, 15 = II pg. 272.

[7]) Hell. II 3, 30; Kyr. I 3, 2; Mem. IV 1, 3; Oec. 11, 5; 20, 26 sq. Sympos. 8, 41; Kyneg 12, 15; re eq. 3, 9.

[8]) Videas verbi causa quot et quas lacunas in Anabasi detexerit C. G. Krueger in libello laudato de auth. et integr. Anabaseos.

[9]) cfr. Cobet var. lect. c. V = Mnemos. VI 41 sq. — Aem. Müller l. l.

[10]) Gr. 93, 724; progr. 13; Campe l. l. 8.

Sumentes igitur, ut paucis abhinc annis ab omnibus fere hominibus doctis statuebatur, Plutarchum in conscribendis vitis Alcibiadis Lysandri Agesilai usum fuisse Xenophonte, ac videntes, id quod profecto neminem potest fugere, nonnulla, vel multa, apud Plutarchum fere ad verbum cum Hellenicis congruere, alia vero fusius narrata esse ab illo, eo pervenerunt ut dicerent, non modo ea quae etiam similia essent apud Plutarchum et in Hellenicis, ab illo ex his esse sumpta, sed alia multa, neque vero — id enim factum esse non posset — ex Hellenicis quae nunc haberemus circumcisis ac depravatis, sed *ex vero et copioso* opere Xenophontis.

Quod statuentes primum non satis respexisse videntur multa etiam brevius narrari apud Plutarchum quam apud Xenophontem, et — quod majoris momenti est — multa plane aliter tradi: saepe ita narrari res ut credi vix possit talia esse scripta ab eo qui Xenophontem inspexerit. Sumi enim non potest, etiam maximarum minimarumque rerum rationes, etiam judicia lata aliaque quae ad ingenium pertineant Xenophontis, ab epitomatore fuisse tacta atque immutata.[1])

Deinde vero de ratione scribendi et de fontibus Plutarchi non recte judicant qui statuunt ipso Xenophonte eum usum esse. Quod non est firmum axioma[2]) sed valde infirmum et labefactum, et profecto necesse est probetur — si fieri potest — quam certissimis argumentis.

Non ad ea quidem sola provocare neque volo neque possum quae C. Stedefeldt[3]) et C. Fricke[4]) nuper disputaverunt. Nam si dicerem ex tribus illis vitis Plutarcheis nihil posse colligi de Hellenicorum vera forma, cum demonstratum esset, Plutarchum non ipso Xenophonte usum esse, omnino nihil probarem. Quibus enim argumentis ex Plutarcho petitis Cyprianus Grosser ceterique adducti sunt, ut hypothesin illam firmarent, eisdem ipsis fere ex argumentis Stedefeldt et Fricke collegerunt non Xenophontem sed Ephorum a Plutarcho fuisse exscriptum. Itaque si de Xenophonte *solo* quaesitum esset, fueritne Plutarchi fons necne, nihil neque in hanc neque in illam partem probaretur et tota quaestio integra maneret.

Sed etiam de aliis scriptoribus, qui pro fontibus habebantur Plutarchi, similia probata sunt atque de Xenophonte: quae Buechsenschuetz nuper de ratione cum scriberet quae Plutarchum inter et Xenophontem intercederet, omnino non novisse videtur.[5])

Eis enim quae Fr. Ruehl[6]) et C. Fricke probaverunt de fontibus vitarum Plutarchearum Cimonis et Niciae, atque omnino eis quae probata sunt de ratione quam scriptores quales Diodorus Plutarchus Trogus Nepos sequebantur in scriptis componendis[7]), id, si quid video, plane in aperto positum est, non ita egisse Plutarchum ut ex variorum scriptorum variis libris

---

[1]) cfr. Guil. Meyer l. l. 7 sq.

[2]) Gr. nov. ann. 105, 725: die Xenophonquelle an unzweifelhaften stellen *ist eben grundsatz, der des beweises nicht bedarf;* unsere hypothese ist die behauptung, welche durch ihn in Verbindung mit anderen indicien bewiesen werden soll. — cfr. progr. 14.

[3]) de Lysandri Plutarchei fontibus, Bonnae 1867.

[4]) „Ueber die quellen des Plutarch im Leben des Nikias und Alkibiades", Leipzig 1869.

[5]) nov. ann. phil. 103, 219 sqq. — Assentiti sunt Haenel l. l. 35; Beckhaus Z. G. W. l. l. 258; Od. Schambach l. l. 7. Oblocutus est Grosser, nov. ann. 105, 723 sqq., et progr. 14. — Ludw. Breitenbach („Xenophon's Hellenica, Diodor und Plutarch", nov. rh. mus. XXVII 497) cum non novisset illam Büchsenschuetzii commentationem probare studet Xenophonte Plutarchum non usum esse, quod non probasse videtur Grossero, progr. 14. — cfr. eundem Breit. Z. G. W. 1871, 728 sq. et edit. Hell. I et II, 1873 pg. LXX sqq.

[6]) „die quellen Plutarch's im leben des Kimon", Marburg 1867.

[7]) cfr. Ruehl l. l. pg. 1 sq.; — Guil. Collmann, de Diodori Siculi fontibus, Marburgi 1869 pg. 1 sq. — G. Gilbert „die quellen des plutarchischen Theseus" Philol. XXXIII 46 sqq.: „doppelte quellenbenutzung ist, wenn nicht zwingende gründe dafür vorliegen, nicht zu praesumiren" (pg. 49). — Fr. Albracht, de Themistoclis Plutarchei fontibus, Gottingae 1873, pg. 5 sq.

suam narrationem compilaret[1]), sed ita, ut res gestas narrans unum sequeretur ducem, qui quidem *non semper*, tamen in una eademque re narranda idem erat.[2])

Jam cum Plutarchus Niciae vitam describens sequi potuisset Thucydidem aut Ephorum, atque cum probatum nunc esset[3]) Thucydide ipso eum usum non esse, quemnam alium secutus est quam Ephorum? Qua re id quoque jam satis confirmatur, de quo etiam dubitationem movit Buechsenschuetz[4]), Ephorum re vera opus suum ita instituisse ut quae priores scriptores tradidissent examinaret, quae recte dicta viderentur in narrationem suam reciperet, ut vero quae falsa viderentur mutaret et corrigeret, additamenta inserens praecipue ex publicis quae dicuntur actis aliisque ex fontibus sumpta.[5]) Si vero Thucydidis opere ita usus est Ephorus, de Xenophontis hiſtoria graeca idem statui potest, ea quoque illum tamquam fundamento usum esse atque saepe ad verbum eam exscripsisse. — Atque cum Thucydide non ipso sed per Ephorum tamquam medium usus esset Plutarchus[6]), nostro jure statuimus, eandem rationem intercedere inter Plutarchum tres vitas illas scribentem et Xenophontem, ut omnia, quae easdem res narrans plura ille tradat et accuratiora probent non Xenophontem sed Ephorum, qui Xenophonte utebatur, fontem fuisse Plutarchi.[7])

Accedit quod non de Ephoro solo talia statuenda esse, sed etiam de aliis scriptoribus, nuper a G. Gilberto edocti sumus: Qui de Plutarchei Thesei fontibus agens[8]) probavit (quod legens summo gaudio sum affectus), non Philochorum fuisse fontem Plutarchi illam vitam scribentis, sed Istrum qui hauserit ex Philochoro, ac protulit complures Plutarchi locos, quorum verba plane congruunt cum fragmentis Philochori[9]), ex quo tamen non ipso sed per Istrum medium ad Plutarchum pervenerunt. Itaque non jam videtur dubitandum esse de scribendi illa ratione Ephori a Stedefeldtio Frickio aliis probata.

---

[1]) quam agendi rationem Plutarcheam fuisse Buechsenschütz probare studet; cfr. l. l. 263; cfr. C. Fricke l. l. 26.

[2]) ut Campe l. l. recte statuit; cfr. H. Sauppe, „die quellen Plutarch's für das leben des Perikles", Göttingen 1867. — Grosser nov. ann. 105, 723; progr. 13.

[3]) a Collmanno l. l. pg. 1—26 et a Volquardsenio, „Untersuchungen über die quellen der griechischen und sicilischen geschichten bei Diodor", Kiel 1868.

[4]) l. l. 218: „abgesehen davon, dasz es an jedem nur einigermassen einleuchtenden beweise für die voraussetzung fehlt, dasz Ephorus auf Xen. beruhe und zusätze etc. gemacht habe, ist es auch mehr als unwahrscheinlich, dass ein geschichtschreiber, wie Ephoros, seine vorgänger in der weise sollte ausgeschrieben haben, dass sich noch bei Plutarch in dem, was er aus Ephoros entlehnte, grosse sätze in derselben form wie bei Xenophon finden könnten". — Mirum non est, his verbis Buechsenschützii ex animo assentiri Grosserum progr. 14.

[5]) cfr. etiam Fr. Ruehl, nov. ann. 97, 668 sq. — Similiter jam judicavit Fr. Creuzer l. l. 324.

[6]) Thucydides quoque non omnia narravit quae narrare potuit. Sic VIII 12, 45, infensum fuisse Agidem Alcibiadi refert, cur fuerit omisit, quod legimus apud Plutarchum Alc. 23 (cfr. Justin. V 2, 5). Num inde colligimus Thucydidis verba ex Plutarcho esse augenda? cfr. quae alia exempla collegit C. G. Krueger ad Dionys. histor. 256.

[7]) cujus rei aliud argumentum affert Stedefeldt, l. l. 43 sq. „quo Ephorum a Plutarcho exscriptum esse vel atrocibus adversariis spero demonstratum iri". Pausanias III c. 8, 7—10 de Agesilao idem fere narrans ac Plut. et saepe congruit cum Xenophonte et ubi ab eo differt saepius easdem res inseruit ac Plut. Inde colligendum est aut Pausaniam ex eodem ac Plutarchum fonte hausisse et ipsum igitur integro Xenophontis opere usum esse, aut neutrum ex Xenophonte sed utrumque ex Ephoro illa exscripsisse. — cfr. eundem ibid. 46 sq. et H. Sauppium l. l. 9 sq. probantem, ab Ephoro summa belli samici eodem modo narrata esse quam a Thucydide, additis tamen minoris momenti multis rebus.

[8]) in commentatione quam pag. 19, 7 laudavi. cfr. Philol. Anz. 1873. suppl. pg. 666.

[9]) Sic. c. 13 congruere cum Philochori frg. 36, 1 = Müller I 390 probatur pag. 54; c. 35 cum frg. 46 pag. 65. cfr. pagg. 58; 66.

Ne tamen in universum tantum disputem, verum exemplis accurate examinatis firmiorem reddam hanc sententiam meam, locos nonnullos nunc ita tractabo ut Cypriani Grosserique atque simul etiam Buechsenschuetzii sententias falsas esse ostendere studeam.

Primum igitur conferamus ea quae de pugna ad Abydum facta traduntur. Xenophon I 1, 2 sqq. narrat, Dorieum ἅμα ἡμέρᾳ cum quatuordecim navibus in Hellespontum venisse, ibi ab Atheniensium viginti navibus impetum in eum factum et dimicatum esse varia victoria et velut aequo Marte donec Athenienses Madytum redissent ad reliquam classem. Tum Mindarum advenisse auxilium ferentem Dorieo et manus conseruisse cum Atheniensibus.

Hic subsistendum est propter Cyprianum qui de hoc loco agens contendit, epitomatorem, ut verba omittere posset[1]), eodem die duas pugnas navales narrasse, cum verba ἐβοήθει et ἀπέπλει (§. 4) referenda essent ad diem pugnae navalis prioris descriptae §. 3, cum vero verba ἀνταναγόμενοι et ἐξ ἑωθινοῦ (§. 5) ostenderent alteram pugnam postero die aut pluribus diebus post priorem esse commissam.

Contra hanc sententiam varia videntur proferri posse. — Breitenbach et Buechsenschütz eodem die utramque pugnam commissam esse statuentes[2]) verba ἐξ ἑωθινοῦ, cum ad eam explicationem non quadrent, non proprio certe sensu intelligi possint (propter ea quae legantur §. 2), pro additamento librarii habent adjecto propter ea quae antecedant μέχρι δείλης[3]), cum saepe sic duae notationes componantur.[4]) Sed tali modo non refutatur sententia Cypriani.

Aliam rationem secuti Heiland[5]), Dindorf[6]) Πανταζίδης[7]) „latius dictam esse vocem ἑωθινοῦ“ statuunt.[8]) Cui rationi oblocutus Hertlein[9]) recte monet apud Xenophontem simplici genere dicendi utentem talia vix statui posse; neque Homericis exemplis aliquid probari videtur quamquam poëtica multa exstant in libris Xenophontis.[10])

Equidem plane non capio, cur duas has pugnas *eodem* die factas esse ex verbis Xenophontis colligere debeamus. Athenienses enim Madytum se receperunt pugna priore facta, quam cum Mindarus committi vidisset ad mare properavit et convenit Dorieum. Haec uno die fiebant, quo tamen ea quoque facta esse, quae §. 5 narrantur, e Xenophontis verbis non sequitur neque inde quod nihil additum est, quo tempus accuratius definiatur (velut τῇ δ'ὑστεραίᾳ aut ἡμέραις δ'ἐνίαις ὕστερον), cum quot hujus neglegentiae exempla reperiantur in Helleni-

---

[1]) pag. 48: ἵνα κερδίσῃ λέξεις.

[2]) in annotationibus ad l.

[3]) sequuntur Brücknerum, Zeitschrift für Alterthumswissenschaft VI (1839) pg. 395. — Hertlein, progr. Wertheim 1841 pg. 7 ea verba orta esse censet ex glossemate addito ad verba ἅμα ἡμέρᾳ.

[4]) Laudat Breit. edit 1853. Appian. VIII 72: ἐς νύκτα ἀπ' ἠοῦς; Plut. de anim. procr. 10 ἄχρι τέλους ἀπ' ἀρχῆς; Plut. Them. 9; Xen. An. V 4, 31, VII 4, 18: quibus addi potest Hell. III 2, 10 ἀπὸ ἠρινοῦ χρόνου πρὸ ὀπώρας.

[5]) quaest. Xenoph. Stendal 1856, pg. 3 sq.

[6]) ed. Oxon. 1853 ad l.

[7]) l. l. pg. 110.

[8]) Confert Heiland duos locos Homeri, a quo ἠώς opponitur δείλη et μέσῳ ἤματι Il. XXI 111, et ἠώς crescensque dies ad meridiem usque pertinere dicitur Il. VIII 66.

[9]) nov. ann. phil. 75, 700.

[10]) cfr. Heilandii quaestiones de dialecto Xenophontis, 1844, pg. 12 sqq. — Lobeck ad Phryn. 89: „poëtica et glossematica vocabula in nullo plura notata sunt quam in Xenophonte, scriptore maxime pedestri.“

cis non sit quod moneam. Haec statuens, quae etiam statuit Campe [1]) et quae meliora videntur quam quae Haenel profert [2]), Cyprianum satis refutasse mihi videor. [3])

In eis jam quae sequuntur (§. 5 sqq.) Xenophon narrat Alcibiadem advenisse, Peloponnesios mari victos esse et cum Pharnabazo conjunctos terra tantum se defendisse.

Hunc primum locum Buechsenschütz tractans [4]) atque cum Plut. Alc. 27 et Diod. XIII 46 conferens contendit, non Xenophonte solo sed alio praeterea fonte usum esse Plutarchum; quam sententiam falsam esse nunc singulis considerandis probaturus sum. Verbis igitur Plutarchi *εἰς τοῦτο καιροῦ συνήνυσε* [*Ἀλκιβιάδης*] *πλέων . . . ἐν ᾧ . . . ἄχρι δείλης ἀγῶνι μεγάλῳ συνείχοντο,* duo diversos prodi fontes dicit B., cum in uno eodemque recte dici nequeat „eo temporis momento — quo usque ad vesperum pugnarent." Sed ita locum vertens B. vim vocabuli *καιρός* non satis recte reddidit, quod hoc loco non significat „temporis momentum" sed „tempus opportunum"; vertenda igitur sunt verba Plutarchi sic: „eo tempore opportuno Alcibiades advenit quo proelium committentes Athenienses et Lacedaemonii ad vesperum usque pugnabant": quae ab uno eodemque scriptore optime dicuntur. [5]) Profecto non leguntur haec verba apud Xenophontem, qui alio ordine atque Plutarchus res narrat, sed Ephorum ita paullo immutasse verba Xenophontis quidni putare possumus?

Secundum argumentum B. petit ex vocibus *κατὰ τύχην,* quippe quae et apud Plutarchum legantur et apud Diod. XIII 46. Non fugit quidem Büchsenschuetzium Plutarchi Diodorique hos duos locos propter magnam diversitatem conferri omnino non posse, quod tamen ita rejicit ut statuat a Diodoro fontis verba non accurate esse reddita. Sed apud Plutarchum si legimus: *Ἀλκιβιάδης κατὰ τύχην εἰς τοῦτο καιροῦ συνήνυσε πλέων, ἐν ᾧ κτλ.,* apud Diodorum vero: *Ἀλκ. παραδόξως ἐπεφάνη, πλέων κατὰ τύχην εἰς Ἑλλήσποντον,* si igitur plane diversa est apud utrumque ratio totius rei (quamquam Alcibiadem *κατὰ τύχην* in Hellespontum navigasse falsum recte dicit B. [6])), eam solam ob causam, quod duae illae voces apud utrumque exstent eaedem, de communi fonte non potest cogitari.

Idem vero B. inde colligit quod eodem modo uterque narret quosnam metus quasve spes in Atheniensium et Lacedaemoniorum animis moverit adventus Alcibiadis. Denuo autem idem occurrit quod nunc ipsum vidimus, similia quidem ab utroque tradi, quodammodo tamen etiam *diversa.* Nam cum dicat Plutarchus:

> [*Ἀλκιβ.*] *παρέσχε ἐναντίαν δόξαν ἀμφοτέροις ἐπιφανείς, ὥστε θαρρεῖν μὲν τοὺς πολεμίους, θορυβεῖσθαι δὲ τοὺς Ἀθηναίους,*

---

[1]) l. l. pg. 12 ann. — [2]) l. l. pg. 26.

[3]) in fine §i 4 lacunam statuit C. G. Krueger ad Dionys. 285, ann. 77, „cum auctor addere debuisse videatur, Mindarum assumpto Dorieo versus Abydum navigasse hostemque ad pugnam provocasse." Sed talis sententia addatur necesse non est. — Aem. Müller l. l. 57 ita judicat: „sectt. 2—8, quae pugnam Abydenam continent, haud dubie sana sunt habenda." G. Meyer l. l. 10: „pugna Abydena satis dilucide et copiose explicatur."

[4]) nov. ann. 103, 219 sq. — Ei assentitur Grosser 105, 725, communem tamen Diodori et Plutarchi fontem non agnoscens.

[5]) Sic recte de hoc loco agit Grosser, nov. ann. 105, 727 sq., qui tamen quaerens: „warum kann *εἰς τοῦτο καιροῦ* nicht bei Xenophon gestanden haben?" non recte quaerit. *Possunt* profecto haec verba locum habere apud Xenophontem, *possumus* etiam, si volumus, sumere haec verba profecto a Xenophonte scripta esse, sed revera *fuisse* ea scripta ab illo et *fuisse* omissa ab epitomatore talibus interrogatis non probatur. Non omnia enim, quae esse aut fuisse *possunt*, revera etiam *sunt* aut *fuerunt.*

[6]) Idem judicans Grote l. l. VIII 158 not. 1 non satis recte haec dicit: Diodorus *and* Plutarchus speak of Alcibiades coming to the Hellespont by accident.

Diodorus vero: *ἑκάτεροί σφισι βοήθειαν ἐλπίζοντες παραγενέσθαι μετέωροι ταῖς ἐλπίσιν ἐγένοντο,*

ex eodem fonte haec quae plane sunt contraria sumpta esse, equidem non concedo.

Porro a Plutarcho aliter paullulum quam a Xenophonte descriptam esse dicit B. pugnam et accuratius et „in majorem Alcibiadis gloriam", quem in persequentes hostes impetum fecisse eosque fugasse ille narraverit. Quod non recte disputat B. Plutarchi enim verba: *ὥρμησαν ἐπὶ τοὺς κρατοῦντας καὶ διώκοντας τῶν Πελοποννησίων* non significant: „die (= alle) bereits in der verfolgung begriffenen peloponnesier" (quod esset: *τοὺς κρατοῦντας Πελοποννησίους*), sed significant: „in *eos Peloponnesios, qui persequebantur*", id quod bene, opinor, congruit cum Xenophontis verbis: *τὰ μὲν νικώντων τὰ δὲ νικωμένων.*

Socordia deinde qua B. Plutarchum dicit a suis ipsius verbis (haec enim putat esse ea quae nunc ipsum tractavi) ad fontis transire, cum subito de Atheniensibus loqueretur antea non nominatis (*τέλος δὲ τῶν μὲν πολεμίων τριάκοντα λαβόντες κτλ.*) eodem jure Xenophonti crimini datur.

Aliud vero argumentum praebere videntur verba Plutarchi *τρόπαιον ἔστασαν,* quae cum apud Xenophontem non legantur, exstent apud Diodorum (XIII 47), ex uno fonte ab utroque sumpta putat B. Ex Plutarcho autem sequitur, *eodem die* statim post pugnam commissam illud tropaeum fuisse collocatum cum Diodorus *postero demum die* hoc factum esse apertissimis dicat verbis: *Ἀθηναῖοι τότε μὲν — — ἀπέπλευσαν, ἤδη νυκτὸς οὔσης, ἅμα δ' ἡμέρᾳ — — πρὸς τῷ προτέρῳ τροπαίῳ πάλιν ἕτερον ἔστησαν.*

Recte denique B. statuit verba Plutarchi: *προσκείμενος ἔκοπτε — — τῶν ἀνδρῶν ἐκνεόντων* non necessario esse addita apud eum neque desideranda apud Xenophontem.

Mihi vero addendum est, abhorrere etiam aliis rebus Plutarchi narrationem a Xenophontis, atque ita ut credi plane nequeat hunc illi fuisse ante oculos. Monui jam alio ordine quam apud Plutarchum a Xenophonte res narrari; deinde cum Xenophon dicat:

(§. 5) *ἐναυμάχησαν περὶ Ἄβυδον κατὰ τὴν ἠϊόνα,*

Plutarchus haec tantum habet:

διαναυμαχοῦντες περὶ Ἄβυδον.

Denique vero cum Xenophon tradat:

(§. 6.) *Φαρνάβαζος παρεβοήθει καὶ ἐπεισβαίνων τῷ ἵππῳ εἰς τὴν θάλατταν — — ἐμάχετο — καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς αὑτοῦ ἱππεῦσι καὶ πεζοῖς παρεκελεύετο,*

non solum multo brevior sed plane contraria est narratio Plutarchi:

Φαρναβάζου πεζῇ προσβοηθοῦντος αὐτοῖς καὶ μαχομένου κτλ.[1]) —

De itinere quo hac pugna commissa Alcibiades ad Tissaphernem, qui tum in Hellesponto erat[2]), profectus ab eoque comprehensus est agens Grosser[3]), causam qua motus Alcibiades iter fecerit dicit ab epitomatore omissam (Hell. I 1, 9 sq.) servatam esse a Plutarcho

---

[1]) Haec atque talia vereor ne Grossero nihil probare videantur, qui hanc proponit sententiam (progr. 15): „hierbei (h. e. in conferendis Plutarcho et Xenophonte) ist zu erwägen, dasz auf die differenzen nicht das gleiche gewicht fällt wie auf die übereinstimmung." Quod axioma mihi plane falsum atque perversum videtur, neque puto umquam probatum iri: nam rectum si esset, nihil jam neque probari neque refutari posset.

[2]) Hell. I 1, 9 coll. Thuc. VIII 109 „ex quibus locis Xenophontis historiam arcte cohaerere cum Thucydidea patet, ut recte monet Mitford IV 376" Krueger ad Dionys. 284, ann. 79. — cfr. E. Curtius, l. l. II 663; Grote VIII 161. — J. Spiller quaestionum de Xen. h. gr. spec. 25.

[3]) l. l. 93, 728; 105, 737; progr. 20.

(Alc. 27): *οὕτω λαμπρᾷ χρησάμενος εὐτυχίᾳ καὶ φιλοτιμούμενος εὐθὺς ἐγκαλλωπίσασθαι τῷ Τισσαφέρνει κτλ.* Sed cum Xenophon fere semper nihil narret quam res ipsas, saepissime non addens causas, quibus moti homines egerint, de complendis ejus verbis ne hic quidem videtur cogitandum esse. Accedit quod illa Plutarchi verba rhetorem produnt, Ephoro igitur tribuenda sunt; credi enim vix potest, eam fuisse solam vel praecipuam causam itineris, ut Alcibiades Tissapherni ostenderet, se jam esse ducem potentem Atheniensium et victorem; ea potius ex causa iter illud fecit, ut foedus cum Tissapherne iceret: quod se victorem facilius perfecturum esse profecto arbitrabatur.[1]) Jure igitur Buechsenschuetz[2]) Plutarchea illa „phrase" dicit, aliud proferens exemplum, ubi Plutarchus similiter causam finxerit[3]): Eis quae Thuc. VIII 108 narrantur de Alcibiade ab Halicarnassensibus pecuniam exigente apud Plut. Alc. 27 causa est addita: *ὥετο δεῖν μὴ κεναῖς χερσὶ μηδὲ ἀπράκτοις — — κατελθεῖν.*

Deinde quod dicit Grosser, verba Xenophontis *φάσκων κελεύειν βασιλέα πολεμεῖν Ἀθηναίοις* non praebere nisi simulatam causam qua motus Tissaphernes Alcibiadem comprehenderit, veram a Plutarcho servatam esse: *πάλαι κακῶς ἀκούων ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων καὶ φοβούμενος αἰτίαν λαβεῖν ἐκ βασιλέως,* — profecto verbum *φάσκειν* etiam hoc loco ut saepe a Xenophonte ita usurpatum est ut simulatam significet causam. Veram autem a Plutarcho servatam atque ex eo in Xenophontem recipiendam esse equidem non putaverim. Tissaphernes enim, haud ignarus, Lacedaemonios ipsum apud regem criminatos esse, ac timens ne a rege in ipsum animadverteretur[4]), hanc simulavit causam, quam inde compertam habet Xenophon et quam solam refert, cum Ephorus, scriptor ille *πραγματικός*, ex politica quam sequebatur Tissaphernes arte[5]), ipse fingeret et adderet causam qua ductus esse Tissaphernes videretur ut Alcibiadem comprehenderet.

Aliud deinde apud Xenophontem per epitomatorem nunc omissum suppeditari a Plutarcho dicit Grosser: Alcibiadem e custodia elapsum maledixisse Tissapherni (Alc. 28). De fuga enim et reditu Alcibiadis fere ad verbum eadem tradens atque Xenophon, Plutarchus addit: *καὶ τὸν μὲν Τισσαφέρνην προσδιέβαλλεν, ὡς ὑπ' ἐκείνου μεθειμένος.* Quae tamen verba, cum quem ad finem Alcibiades calumnias dixisset perspici nequeat, apud Xenophontem locum olim habuisse omnino non potest probari.[6])

Recte denique Gr. dicit saepius apud Plutarchum ipsa verba Xenophontis redire, velut in initio c. 28, quod congruit cum Xen. I 1, 10. Sed Grosser atque omnes qui Plutarchum ex Xenophonte ipso hausisse statuunt vellem reputassent, num credi possit illum plane nihil rettulisse de comite Alcibiadis e custodia fugientis, si apud Xenophontem legisset *μετὰ Μαντιθέου τοῦ ἁλόντος* (§. 10), et num putandum sit, Plutarchum, quem Gr. sumit multa quam accuratissime exscripsisse ex Xenophontis veris Hellenicis, hic dixisse *ἵππον ποθὲν εὐπορήσας,* cum Xenophon ei praebuisset: *ἐν Καρίᾳ ἵππων εὐπορήσαντες*? E talibus mihi quidem quam certissime videtur colligi posse, Xenophontem ipsum non inspectum esse a Plutarcho. —

---

[1]) cfr. Krueger ad Dionys. 284. [2]) l. l. 221.

[3]) proprio enim Marte B. contendit, causam illam inventam esse a Plutarcho ipso „ad augendam gloriam Alcibiadis."

[4]) Grote VIII 161; Tissaphernes was anxious to regain some credit with the Peloponnesians. — cfr. E. Curtius l. l. — Krueger ad Dion. 284.

[5]) de qua Xen. omnino nihil dicit, ut recte monet B. l. l. 221; cfr. Breitenbach, rh. mus. 519: „das sind innere gänge der politik, die Xenophon nirgends verfolgt."

[6]) cfr. Buechsenschuetz l. l. 222.

Sequitur nunc pugna nobilis Cyzicena, quam Xen. narrat Hell. I 1, 11 sqq., Plut. Alc. 28. — In Hellenicis igitur haec traduntur: Alcibiades ubi Cardiae Athenienses convenit classem jubet Sestum redire, Lacedaemoniis in Propontidem profectis. Postquam deinde Theramenes et Thrasybulus cum vicenis advenerunt navibus, cum tota classe 86 navium[1]) Parium indeque Proiconnesum se confert.

Die post adventum ad Proiconnesum insulam Alc. sermone milites cohortatus, cum priore jam die omnes undique naves etiam parvae coactae essent, ne quis nuntius hostibus afferri posset, imbribus magnis Cyzicum versus proficiscitur, atque, prope ad hanc urbem cum adesset, sole incalescente dispulsus imber cum aperuisset diem, Lacedaemonios extra portum videt, aggreditur. Qui cum ad terram confugerent et Athenienses fortiter aggredientes repellerent, Alc. eos circumvectus viginti naves appellit, copias exponit, cum Lacedaemoniis terrestrem committit pugnam et Mindaro interfecto devincit Lacedaemonios.

Qua ab narratione cum Plutarchea multis rebus abhorreat, Büchsenschuetz statuit[2]), hanc quoque compilatam esse ex Xenophontea et alia, quam etiam secutus sit Diodorus (XIII 49—51). Contendit ante omnia, quod equidem non concedo[3]), Xenophontis narrationem non ab omni parte satis perspicuam esse, cum pugnas navales quarum haud ita peritus ille fuerit minus bene describere soleat quam terrestres: Multo confusiora mihi videntur esse quae leguntur apud Plutarchum.

Sed ut ad singula accedam, primum eo differt a Xenophonte Plutarchus quod hic Alcibiadem narrat concionem militum habuisse *antequam* navigasset Proiconnesum, Xen. vero (§. 14) *cum jam ibi esset.* Nimis magna est audacia Grosseri qui contendit[4]) hanc discrepantiam de loco tempore occasione orationis non veram esse („nur scheinbar"), a Plutarcho omissum tantum esse locum, cum voce *πυθόμενος*, quae legatur apud Plutarchum et apud Xenophontem, demonstretur, etiam apud illum de Proiconneso esse cogitandum; eadem audacia dicit verbis Plutarchi *πληρώσας τὰς ναῦς καὶ κατάρας κτλ.* contineri *ὕστερον πρότερον*, h. e. eis addi res prius jam narrandas („eine nachträgliche erklärung"), cujus rei a Plutarcho plane nulla praebetur causa. Talia atque alia nonnulla quae Gr. protulit satis habeo commemorare, cum ea plane non digna sint quae refutentur.[5])

Verba etiam ipsa diverso modo redduntur ab utroque. Xen. enim cum haec praebeat: *οὐκ ἔστιν χρήματα ἡμῖν, τοῖς δὲ πολεμίοις ἄφθονα παρὰ βασιλέως*, Plutarchus haec habet: *χρήματα γὰρ οὐκ εἶναι μὴ πάντη κρατοῦσι.* Quae differre Büchsenschuetz recte cum intellexisset (apud Xen. dicit Alcibiadem non describere qualis sit opum conditio futura si Athenienses victoriam reportarent, sed qualis utrimque jam nunc sit, ita ut hostes otio frui possent, ipsi diutius pugnam differre nequirent[6])), tamen inde quod ea quae Xen. Alcibiadem

[1]) neque vero 68 ut apud E. Curtium l. l. II 664 typothetarum vitio legimus.

[2]) l. l. pag. 223—225.

[3]) cum Breitenbachio rh. mus. XXVII pg. 500, etiam contra Grosserum proclamantem (nov. ann. 105, 729): „betreffs der schlacht bei Kyz. *bleibe ich dabei*, der bericht Xenophons ist zu dürftig" etc. — Cypr. *Φιλίστωρ* 452: *διότι ἡ ἐν τοῖς Ἑλλ. διήγησις εἶναι οὕτως συγκεχυμένη ὥστε οὐδ' ὁ Ἑρμῆς δύναται νὰ ἐξηγήσῃ τὰ αἰνίγματα.* — G. Meyer 11: „etsi nimiam exilitatem facile largior, nullam tamen rem a Xenophonte omissam esse arbitror, qua ad conjunctionem rerum perspiciendam carere non possumus." — Contra Nitsche 29: „es ist nicht auffällig, wenn Xen.'s bericht über die schlacht bei Kyzikos zurücksteht gegen den Diodor's."

[4]) l. l. 105, 729. [5]) cfr. Breitenbach l. l. 506.

[6]) cfr. C. G. Krueger ad Dionys. 285 „pecuniarum qua laborarent inopia ostendit docuitque non posse quin proelio decertarent." — Grote VIII 163: „we have no money (said he) while our enemies have plenty from the king." Falso Gr. (l. l. 105, 728) putat, utraque verba, et a Plutarcho et in Hellenicis tradita, partes esse verorum: „beide berichte ergänzen sich."

dicentem facit non eadem apud Plutarchum leguntur colligens Plutarchum non ex solo Xenophonte hausisse sed ex alio etiam fonte, non recte judicavit. Revera ex Xenophonte sumpta haec verba non sunt neque apud eum locum habere possunt[1]); plane vero credibile cum non sit tam brevem concionem ex pluribus (vel duobus) fontibus a Plutarcho esse compilatam, nihil statuendum videtur nisi ex Ephoro omnia hausta esse, qui aliter quam Xenophon Alcibiadis verba composuerit.[2])

Cyprianus de §§. 14 et 15 disputans talem confusionem, ut a *ταύτην τὴν ἡμέραν* progrediatur narratio ad *τῇ δὲ ὑστεραίᾳ*, inde (§. 15) ad *τῇ δὲ προτεραίᾳ*, denique (§. 16) rursus ad concionem postero die habitam, non putat esse Xenophontis neque alius cujusvis hominis praeter epitomatorem[3]). — Quam tamen confusionem non tantam esse invenimus locum accurate inspicientes. Nam cum in §. 14 Xenophon rettulisset sermonem Alcibiadis et in §. 16 narraret quae fecisset post illam concionem, addere profecto debebat, quînam esset factum ut Lacedaemonii ejus adventum non comperissent[4]), id quod hac parenthesi fecit. Parenthesim enim hanc §. 15 si putamus nulla jam confusio adest quamquam negari nequit, etiam in §. 14, ante verba *τῇ δὲ ὑστεραίᾳ κτλ.* haec potuisse narrari.

Ab eis quae Xen. §. 15 narrat Plut. cum fere eadem praebeat ita tamen differt, ut cum ille apertis verbis dicat ab Alcibiade *Proiconnesi cum degeret*[5]) jussum esse naves omnes cogendas esse, Plut. referat hoc imperatum esse ab Alcibiade Proiconnesum versus profecto. Recte dicit Gr.[6]) inde colligi non posse, hoc jussum *non* datum esse cum Proiconnesi jam esset Alcibiades, sed concedere debet, ni fallor, ex verbis ipsis facilius colligi: Alcibiadem hoc fieri jussisse antequam Proiconnesum venit. — Porro secundum Xenophontem *omnes* naves coactae sunt (*τὰ πλοῖα πάντα καὶ τὰ μικρὰ συνήθροισε παρ' ἑαυτόν*), auctore Plutarcho minores tantum (*ἐκέλευσεν ἐντὸς περιβάλλειν τὰ λεπτὰ πλοῖα καὶ παραφυλάσσειν*)[7]). — Causam deinde cur naves coactae sint Xen. cum dicat hanc: *ὅπως μηδεὶς ἐξαγγείλαι τοῖς πολεμίοις τὸ πλῆθος τῶν νεῶν*[8]), Plut. affert talem: *ὅπως μηδεμία τοῖς πολεμίοις ἐπιπλέοντος αὐτοῦ γένοιτο μηδαμόθεν προαίσθησις.* — Xenophontea *ἐπεκήρυξε — — — θάνατον τὴν ζημίαν* Plut. omnino non habet. Ut ille hic quoque refert per imbrem Athenienses prope ad Lacedaemonios pervenisse coelo repente sereno facto. Sed cum Xen. Lacedaemonios ante portum exercitos fuisse narret (§. 16:

[1]) cfr. etiam Breitenbach ad l. (ed. 1853): „verba *μὴ πάντη κρατοῦσι* excidisse putant apud Xen. sine justa causa." — Hertlein, Zeitschrift für Alterthumswissenschaft IV (1837) pg. 1024.

[2]) C. Frickium (l. l. 69) non satis caute contendisse vocibus *νὴ Δία* demonstrari verba Plutarchi ex oratione directa sumpta esse, recte quidem monet Büchs. auctorem laudans Baehrium (ad Alc. 28 pag. 218), quae tamen nulla est causa cur Ephorus Plutarchi fons non fuerit.

[3]) pag. 51: *τοσαύτη ταραχὴ καὶ σύγχυσις δὲν εἶναι δίκαιον ν' ἀποδοθῇ ὄχι εἰς ἀρχαίαν κεφαλὴν ἡρέμα καὶ καθαρὰ πάντοτε καὶ ἀντιλαμβανομένην καὶ γράφουσαν, ὄχι εἰς συγγραφέα, οἷος ὁ Ξενοφῶν, ἀλλ' οὐδ' εἰς οἱονδήποτε τῶν κοινῶν ἀνθρώπων κτλ.*

[4]) cujus rei Diod. XIII 49 aliam profert causam: *ἐφιλοτιμήθησαν νυκτὸς τὴν τῶν Ἀβυδηνῶν πόλιν παραπλεῦσαι πρὸς τὸ μὴ κατανοηθῆναι τὸ πλῆθος τῶν νεῶν ὑπὸ τῶν πολεμίων.* Quae Grote VIII 162 sq. ita reddens: „they sailed up the Hellespont to Proik. by night so that their passage escaped the *notice of the Peloponnesian guardships at Abydos*" temere verbis Diodori intulit quae non continent. — Etiam E. Curtius (II 664) Diodorum secutus dicit: „sie legten *in der nacht* bei Prok. an", cum Xen. accuratius quam Diod. praebeat (§. 13) *τῆς ἐπιούσης νυκτὸς ἀνηγάγοντο καὶ τῇ ἄλλῃ ἡμέρᾳ περὶ ἀρίστου ὥραν ἦκον εἰς Προικ.* Num noctu Elaeo profecti etiam nocte Proiconnesum pervenire potuerunt?

[5]) ut recte statuit Brueckner l. l. 395 contra Schneiderum ad l.

[6]) l. l. 105, 729.

[7]) Quam discrepantiam sublaturi Schneider ad l. *καὶ* apud Xenophontem deleri, Brueckner l. l. 395 eandem particulam Plutarcho addi jusserunt.

[8]) similiter Diod. XIII 49: *πρὸς τὸ μὴ κατανοηθῆναι τὸ πλῆθος τῶν νεῶν.*

γυμναζομένας πόρρω ἀπὸ τοῦ λιμένος), Plut. eos ibi tantum commoratos esse dicit (ἀϊωρούμενοι πρὸ τοῦ λιμένος)[1]), et quem numerum Lacedaemoniarum navium Xen. addidit Plut. omisit.[2])

In hac §. 16 bis offendit Cyprianus. Primum enim quod de exercitu Lacedaemoniorum narratur apertum mendacium dicens[3]), cum magno imbri Lacedaemonios exercitos fuisse probabile non sit, veriorem putat esse narrationem Plutarchi. Quamquam non satis perspiciam, quomodo hoc argumento thesis illa probetur[4]), tamen quo hanc opinionem Cypriani refelli putem profero: Non modo credibile sed quam verisimillimum est Lacedaemonios non modo in bello sed etiam in pace tempestatibus non spectatis exercitos esse et sereno coelo et turbido tempore: id quod etiam nostrates semper faciunt.

Αἴνιγμα vero ἀνεξηγητὸν invenit Cypr. in verbis quae apud Xenophontem addita sunt: καὶ ἀπειλημμένας ἀπ' αὐτοῦ.[5]) Quae profecto nihil significant nisi hoc: Lacedaemonios interceptos videt Alc. a portu (αὐτοῦ enim ad λιμένος est referendum); quis eos sejunxerit non puto quaerendum esse, cum apertum sit Alcibiadem, inscium quidem, hoc fecisse (id quod probatur verbis quae leguntur in §. 17: οἱ Πελ. ἰδόντες τὰς τῶν Ἀθηναίων τριήρεις οὔσας — — πρὸς τῷ λιμένι). Itaque non ex Plutarcho complendus est Xenophon. — Sed ἀπ' αὐτοῦ lectio est codicis E cujus nulla est auctoritas, cum meliores libri omnes exhibeant ὑπ' αὐτοῦ, quae cum lectio bonum praebeat sensum non intelligo cur illam receperint G. Sauppe[6]) et Cobet. Si probamus lectionem ὑπ' αὐτοῦ, pronomen referendum est ad Alcibiadem, qui videt naves Lacedaemonias a se interclusas esse et quidem interclusas a portu urbis Cyzici, id quod ex verbis πόρρω ἀπὸ τοῦ λιμένος facile intelligitur[7]).

Jam vero Plut. non ut Xen. narrat, Peloponnesios conspectis Atheniensibus ad litus fugasse, Alcibiadem eos circumvectum et ipsum naves appulisse et in terra Lacedaemonios devicisse[8]), sed secundum illum haec est ratio pugnae: Alcibiades timens ne Lacedaemonii classem Atheniensium magnam viderent, ceteros duces paululum remanere jubet lentoque cursu sequi ipsum cum 40 navibus se ostendentem (ἐφαίνετο) et hostes ad pugnam allicientem. Lacedaemonii pugnam cum eo committentes ceterarum Atheniensium navium adventu perterriti cum fugerent, Alc. cum 20 optimis navibus pervectus (διεκπλεύσας) eas appellit terraque hostes

---

[1]) Nolo premere discrepantiam vocum πόρρω ἀπὸ et πρό, quamquam non recte Gr. eam plane tollere studet l. l. 105, 729.

[2]) Xen. §§. 11 et 16 sexaginta fuisse naves Lacedaemonias dicit, cum Diod. XIII 50 octoginta tradat. Recte Xenophontem secutus est E. Curtius, II 664, 38 naves Lac. dicens captas esse ab Atheniensibus = omnes naves exceptis Syracusanis duoetviginti (Hell. § 18 cfr. Thuk. VIII 26; Diod. XIII 34; 63). Diodorum in talibus rebus indiligentem fuisse notum est. cfr. Krueger ad Dion. pag. 320; 324 sq.

[3]) pag. 51: φανερὰ διαστροφὴ τῆς ἀληθείας.

[4]) Cur enim epitomator omissa vera ratione falsam ipse finxit? cfr. Πανταξίδην l. l. 114.

[5]) l. l. pag. 52. — assentitur G. Meyer, l. l. 11.

[6]) Schneiderum secutus, qui adnotat: „haec verba valde sunt obscura."

[7]) Krueger ad Dion. 285: „Mindari naves procul a portu se exercentes *a se* interceptas videt." — cfr. Brueckner l. l. 395. — Breitenbach ad l. — Quo igitur jure Gr., cui haec ignota esse nequeunt, dicere possit, 105, 730: „ἀπειλημμένας ὑπ' αὐτοῦ giebt in verbindung mit γυμναζομένους durchaus keinen vernünftigen sinn, am wenigsten, wenn unter αὐτοῦ Alc. zu verstehen wäre," equidem non capio. A. Laves l. l. 15 verba καὶ ἀπειλ. ὑπ' αὐτοῦ plane removenda esse e contextu censet, quod tamen mihi non probavit. — E. Kurz cum Sauppio legit: ἀπ' αὐτοῦ, „wodurch jede schwierigkeit der erklärung beseitigt ist" Z. G. W. XXVII, 1873, pg. 78, contra quem recte disputavit Buechsenschuetz ibidem 791.

[8]) Xen. *non* narrat, quod Buechs. eum narrare falso dicit (l. l. 223), Alcibiadem cum 20 navibus Lacedaemonios *persecutum esse*.

fundit. — Diodorus[1]) vero XIII 50 tres[2]) narrat fuisse Atheniensium partes, Alcibiadem cum una praevectum esse allecturum hostes ex portu[3]) ad pugnam, Theramenem et Thrasybulum cum reliquis duabus Lacedaemonios circumvenisse, tum Mindarum in Alcibiadem impetum facientem a Theramene et Thrasybulo ad urbem Cyzicum vectis plane ab ea et a portu interclusum et coactum esse extra urbem naves appellere, ibique ab exercitu classique Atheniensium esse devictum.

Nonnullis igitur rebus cum Xen. et Plut. congruant (extra enim portum sunt naves Lacedaemoniorum ibique ab Alcibiade adspiciuntur: *καθώφθησαν — καθορᾷ*), quae diversa ab hoc ille narrat plane falsa videntur esse. Quomodo enim factum est, ut Alc. ab hostibus tum demum cerneretur cum ipse jam dudum Lacedaemoniorum naves vidisset, cum aciem jam instruxisset pugnaeque partes distribuisset? Ipse videns Peloponnesios non potuit non adspici etiam ab eis[4]), Quae cum recte disputaret Büchs. addens Alcibiadem ex Plutarchi narratione circumvenientem hostes ne fugerent ipsum effecisse eorum fugam, non prorsus recte Plutarchum intellexisse mihi videtur. Qui rem ita fingit: Alc. cum timeret ne Lac. fugerent cum tota simul classe si ipsum advehentem viderent, illud strategema molitur; id enim quam maxime agit, ut cum eis pugnet; manibus deinde consertis adventu reliquae classis Atheniensis non *fuga* modo sed *clades* Lacedaemoniorum efficitur. Ac quod deinde dicit Büchs. apud Diodorum divisam esse classem Atheniensem ut hostes a portu separentur, apud Plutarchum *nullam* ob causam, cum fere ad idem redeat fugissentne Lacedaemonii tota classe Atheniensi advehente an primum Alcibiadi restitissent et postea ceteris hostibus supervenientibus fugam capessivissent, ne id quidem satis recte disputavit. Auctore enim Plutarcho *cladem* efficiebat Alc. Lacedaemoniorum, cum tota simul classe impetum faciens eos *fugasset*, qua tamen fuga *servati essent*.

Minime igitur videtur statuendum esse eidem fonti deberi narrationes Plutarchi et Diodori cum uterque diverso modo narret pugnam uterque etiam abhorreat a Xenophonte.

Sed verbis quoque ipsis communem fontem prodi dicit Buechs., cum apud Plutarchum et Diodorum legantur verba *προκαλεῖσθαι*:

(Plut.: *προὐκαλεῖτο τοὺς πολεμίους*, Diod.: *βουλόμενος προκαλέσασθαι τοὺς Λακεδαιμονίους εἰς ναυμαχίαν*)

et *καταφρονεῖν*:

(Plut.: [*οἱ Λακεδ.*] — — *καταφρονήσαντες κτλ.* Diod.: *Μίνδαρος* — — *κατεφρόνησε*)

et cum Plutarcho dicente:

[*οἱ Λακεδαιμόνιοι*] — — *ἀντεξήλασαν*,

Diod. similiter dicat:

Μίνδαρος — — *τὸν ἐπίπλουν ἐποιήσατο.*

---

[1]) de quo accuratissime egit Breit. rh. mus. 502 sqq.

[2]) neque vero *duas*, ut Gr. 105, 730 dicit (*αὐτοὶ εἰς τρία μέρη διείλοντο τὸ ναυτικόν.*)

[3]) Lacedaemonios Diod. *in* portu Cyzici fuisse tradit, qua re eum valde recedere et a Xenophonte et a Plutarcho contendo etiam contra Grosserum, 105, 729: „dasz bei Diod. der standpunct der peloponnesischen flotte *im* hafen, bei Plut. und Xen. *vor* dem hafen ist, *ist unerheblich*“. — A. Laves l. l.: „*πόρρω ἀπὸ τοῦ λιμένος* wird ebenso wie bei Plutarch *πρὸ τοῦ λιμένος* aufzufassen sein.“

[4]) cfr. Breit. rh. mus. 506. — Quam maxime miratus sum Grosserum non intellexisse verba (§. 17): *οἱ Πελοποννήσιοι ἰδόντες τὰς τῶν Ἀθην. τριήρεις οὔσας πλείους τε πολλῷ ἢ πρότερον.* cfr. 105, 731: „worauf könnte wohl *ἢ πρότερον* anders deuten als *auf den zeitpunkt, wo* die Pelop. von Alk. mit nur 40 schiffen herausgelockt, die feindliche flotte anfänglich noch nicht in ihrer ganzen stärke wahrgenommen hatten?“ Veram explicationem: „majorem quam in pugna Abydena fuerat ante adventum Alcibiadis-Theramenis Thrasybuli“ ex eis discere potuit Gr. quae editt. adnotaverunt; cfr. Breit. rh. mus. 500. Hertlein, Zeitschr. f. Alterthumsw. 1837 (IV), 1024; Bruekner l. l. 395; G. Meyer 11.

Quae postrema cum vix in comparationem possint vocari, illa quamquam eadem verba tamen non eodem modo conjuncta cum ceteris communem Plutarchi et Diodori fontem non probant.

Exitum pugnae a Plutarcho ex Hellenicis haustum esse putans Buechs. ex voce *διεκπλεύσας* colligit Plutarchum non satis perspexisse rationem pugnae, cum tradat Alcibiadem per naves hostium fugientes pervectum prius eas delevisse quam persecutum esse homines in terram se servantes. Quod recte disputasse B. mihi videtur si pro Plutarcho dicitur Ephorus.

Differt autem Plut. a Xenophonte eo quod apud illum Alcibiades persequitur Peloponnesios ad litus fugientes, cum apud hunc circumire studeat Peloponnesios in litore jam pugnantes[1]); deinde eo quod ille non commemorat naves Syracusanorum, quas Xenophon ab ipsis ambustas esse narrat cum ceterae omnes naves ab Atheniensibus captae sint. Plut. nihil tradit nisi: *τὰς ναῦς ἁπάσας ἔλαβον*, quae sic scribi non potuisset, si Xenophontem ipsum ante oculos habuisset. Differt denique a Xenophonte etiam in eis quae de eventu pugnae tradit, cum non praebeat quae Xen. habet §§. 19—23: sed haec tantum: *οὐ μόνον τὸν Ἑλλήσποντον εἶχον βεβαίως ἀλλὰ καὶ τῆς ἄλλης θαλάττης ἐξήλασαν κατὰ κράτος τοὺς Λακεδαιμονίους*, quae non putaverim inania esse (Buechs.: „gegenstandslose bemerkung") cum breviter rerum status qualis fuerit ostendant[2]). Non magis verum est, quod dicit Buechs., Lacedaemonios aliam classem non habuisse; qui enim Hell. I 3, 17 Agesandridas, qui in Thraciae litore nonnullis navibus praeerat, dici potuit *ἐπιβάτης ὢν Μινδάρου*, cum Mindarus in pugna Cyzicena mortuus esset (Hell. I 1, 18), nisi jam eo vivo navium illarum fuisset dux?[3])

Recte denique Buechs. affirmat Cyprianum falsum esse, qui sibi videtur deprehendisse epitomatorem *ἐπ' αὐτοφώρῳ*[4]). Causam enim non intelligens ob quam articulus positus sit in verbis (§. 18): *Ἀλκ. ταῖς εἴκοσι τῶν νεῶν περιπλεύσας*, a Plutarcho putat veriorem lectionem esse servatam: *εἴκοσι ταῖς ἀρίσταις*, atque aut a Xenophonte scriptum esse *ταῖς [ἄριστα πλεούσαις] εἴκοσι τῶν νεῶν*, ab epitomatore autem duo illa verba ejecta esse, aut Xenophontem copiosius de viginti his navibus exposuisse, epitomatorem ea omnia omisisse. Melius quam Cypr. editores vim articuli intellexerunt. Nam cum post Hempelium[5]) scribi jubentem *νεῶν ταῖς εὖ πλεούσαις* Zeunius putasset voces *ταῖς ἀρίσταις* ex Plutarcho esse supplenda idemque Peter[6]) contendisset, editores articulum ita defendebant ut dicerent numeralibus saepe articulum addi si totum aliquod cujus partes illa definiant antea dictum aut ex eis quae antecedant notum sit, atque hoc loco totum dictum esse §. 13. Confert Breit. Thuk. I 116, 1; VIII 39, 3; 102, 3; Büchs. Hell. I 6, 26: *ταῖς εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀναχθείς*, VII 5, 10 *τῶν λόχων δώδεκα ὄντων οἱ τρεῖς*, quibus addo An. V 4, 11: *τρεῖς, ὧν οἱ μὲν δύο — ὁ δὲ εἷς —*; Kyr. VII 1, 24: *τρεῖς — ἡ μὲν μία — τῷ δὲ δύο*[7]). Itaque haec quoque offensio Cypriani[8]) inanis est.

---

[1]) cfr. Breitenbach rh. mus. 507.

[2]) „freilich mit einiger übertreibung" C. Peter, Zeittafeln, pag. 81 not. 130.

[3]) Grote VIII 164: „The peloponnesians had now no fleet *of importance* in Asia, though they probably still retained a small squadron at the station of Milêtus." — cfr. Krueger ad Dion. 324 sq.

[4]) pg. 53. cfr. *Φιλίστωρ* 453. — [5]) spec. nov. Hell. recensionis pag. 5.

[6]) comm. cr. de Xen. Hell. pag. 22. — Concedendum est facillime eas voces ita excidere potuisse ut librarii oculus aberravisset a voce *ταῖς* ad exitum vocis *πλεούσαις*. — cfr. *Πανταξίδης* l. l. 116. — Breit rh. mus. 507 probat plane aliam evadere sententiam si voces illae Xenophonti addantur.

[7]) cfr. Krueger gramm. 50, 2, 8; ad Dionys. pg. LXI; pag. 303; in indice Thuk. v. „artikel" 4ª decem locos Thukydideos eodem modo comparatos afferentem; Herbst, „Rückkehr des Alk." pag. 41; Hertlein nov. ann. phil. 75, 700; Classen ad Thuk. I 116, 1.

[8]) quam similiter etiam profert Gr. 105, 731, argumento nullo addito.

Addo denique ea quae Hippocrates ad Ephoros scripserit eadem plane reddi quam in Hell. (I 1, 23) a Plutarcho, ex quo quam certissime colligendum est[1]) ea verba accurate ab Ephoro ex Xenophonte exscripta et Plutarcho tradita esse. Quod tamen addit Plut. vocem *λακωνικῶς*, quod non tradit ab Hippocrate ea fuisse scripta, quod omittit monere interceptam epistolam Athenas esse missam — num Plutarcho ipsi haec tribuamus?

Itaque cum assentiar Buechsenschuetzio ex diverse descripta pugna Cyzicena non colligendum esse affirmanti Plutarchum copiosiore Xenophontis opere usum esse[2]), ex comparatis Plutarchi Diodori Xenophontis narrationibus quam certissime etiam colligendum puto, Xenophontem ipsum a Plutarcho non magis quam a Diodoro inspectum esse. Ab hoc ex plane diverso fonte hausta est omnis narratio, ab illo ex Ephoro, qui Xenophontem partim ad verbum exscripsit, partim correxit aut correxisse sibi visus est.[3])

Narratio Xenophontis de capta Byzantii urbe (Hell. I 3, 14 — 22) nonnullis rebus copiosior est quam Plutarchi (Alc. 31), ut Gr. ipse concedit[4]), cum de Clearcho harmosta prorsus nihil apud Plutarchum legamus, cum de receptis in urbem Atheniensibus Xenophonte brevior sit Plutarchus. Cum tamen aliis rebus magna sit inter eos necessitudo, Gr. statuit, Plutarchum a Xenophonte non recedere, et ubi recedere nunc videatur, epitomatori culpam esse tribuendam; cum Büchs.[5]) recte intelligens nonnulla tam diverse tradi apud Xenophontem et Plutarchum, ut ab hoc ex illo hausta esse non possent, nonnullis vero rebus congruere Plutarchum et Diodorum (XIII 67), horum communem statuat fontem, eumque recedentem a Xenophonte. Sed utrumque falsum esse contenderim. Inter Plutarchum enim et Diodorum non tanta est necessitudo, ut ex diversis fontibus eos hausisse statui nequeat: non congruit numerus captorum Peloponnesiorum[6]), cum Diod. dicat eos ad quingentos fuisse (*εἰς πεντακοσίους*), Plut. vero ad trecentos (*τῶν πολεμίων τοὺς περιγενομένους ὅσον τριακοσίους ζῶντας ἔλαβε*), non nominat Diod. eos qui urbem prodiderunt, quorum Xen. quinque nomina refert (§. 18), Plut. duo; denique pugna commissa atque victoria reportata diversissime traduntur: Diod. enim narrat ea sola re factum esse ut Athenienses victoriam reportarent, quod Alc. salutem omnibus civibus promiserit: *πέρας οὐκ ἂν ἐκράτησαν οἱ Ἀθηναῖοι — — εἰ μὴ Ἀλκ. ἐκήρυξε μηδὲν ἀδίκημα ποιεῖν τοῖς Βυζαντίοις*, quam causam victoriae Plut. non praebet cum et ipse tradat nullum civem esse interfectum: *Βυζαντίων μετὰ τὴν μάχην οὐδεὶς ἀπέθανεν οὐδ' ἔφυγεν*, cujus tamen rei aliam causam affert (*ἐπὶ τούτοις γάρ κτλ.*). Itaque non videtur cum Buechenschuetzio de communi Diodori et Plutarchi fonte cogitandum esse.

Quod in Hell. nunc nihil legitur de dolo quo Alc. fefellerit Peloponnesios simulato in portum impetu, id profecto cum Grossero epitomatori crimini dare possemus. Sed pugna etiam a Xenophonte aliter prorsus narratur quam a Plutarcho et Diodoro. Auctore enim Xenophonte

---

[1]) qua de re B. plane tacet.

[2]) Idem judicans Büchs. ad I 1, 16 non satis recte tamen in ejusdem adnotationis initio dicit: „die erzählung Xen.'s ist, vielleicht durch *lücken* oder zusammenziehungen des textes undeutlich." Putaverim equidem satis perspicue descriptam esse a Xenophonte hanc pugnam; cfr. Breitenbach ad l. Aem. Müllerum, de Xen. h. gr. parte priore. 1856 pag. 57, adn. 7: „Descriptio pugnae Cyzicenae apud Xenophontem optime se habet et falluntur qui eam corrigendam vel explendam putant ex narratione Diodori et Plutarchi, inepto strategemate exornata, *in qua Ephori levitatem rhetoricam et pueriles argutias facile agnoscas.*" — Aliter Grote VIII 163: a battle — not very intelligible in its details and differently conceived by our authorities.

[3]) cfr. Breitenbach rh. mus. 507 sq.

[4]) l. l. 105, 731. [5]) l. l. 228 sq.

[6]) falsus est Büchs. eundem ab ambobus tradi numerum affirmans.

per *portas* Athenienses recepti sunt (§. 20), cum Plut. non tradat quomodo intraverint, Diod. vero scalis eos moenia superasse narret: *παρεδέχοντο [οἱ προδιδόντες] τοὺς περὶ τὸν Ἀλκ. διὰ τῶν κλιμάκων κτλ.* Apud Xenophontem in *foro* colliguntur Peloponnesii pugnaturi, cum ex Diodori narratione primum ad *portum* currant deinde ad *moenia* et cum Plut. nihil tradat de loco pugnae. Quod vero Gr. contendit ex verbis Xenophontis sequi, Peloponnesios jam alio loco pugnasse (fortasse igitur commemorationem pugnae ad portum commissae esse ejectam), id quo jure affirmaverit non intelligo, neque magis percipio, quo modo ex verbis *οὐδὲν τούτων εἰδότες* idem extorquere potuerit.

Xenophontis narratio mihi plane perspicua videtur esse atque dilucida[1]) neque ex Plutarcho complenda, cum ob diversitates illas non statuendum sit, illum ex hoc ipso hausisse, sed etiam hoc loco ex Ephoro Hellenicis qui utebatur, cum Diod. plane diversum secutus sit fontem.

Anaxilai damnationem a Plutarcho similiter atque a Xenophonte (§. 19) narrari facile intelligitur. Quod vero brevior sit Xen. non epitomatori tribuendum esse Büchs. recte statuit, ut non fuerit, cur hoc monuerit Gr.; neque magis in anacoluthia offendendum est Xenophonti usitatissima.[2]) Recte etiam Büchs. dicit, ea quae Plut. addiderit, rhetorica esse, nihil nisi *ἀντιθέσεις*, quae tamen potius quam Plutarcho tribuendae videntur Ephoro Isocratis discipulo.

De itinere Alcibiadis ante pugnam ad Notium commissam facto Xen. haec narrat: Alcibiades Athenis profectus Andrum insulam expugnare et subigere frustra cum conatus esset Samum se contulit et bellum gessit hac potissimum urbe nisus[3]) (*ἐπολέμει* I 4, 21—23). Lysandro cum 90 navibus Ephesi commorante, Alc. Phocaeam est profectus ut opem ferret Thrasybulo qui hanc urbem obsidebat[4]) (I 5, 10—11). — Plut. Alc. 35 obsessam esse Andrum insulam narrans inde Alcibiadem profectum facit *ἐπὶ Καρίας*, Lys. 5 vero eum Samo navigasse dicit *εἰς Φωκαίαν*; cum Diod. XIII 69 tradat eum Andro profectum vastasse Co et Rhodum insulam, inde Ephesum venisse atque Antiocho ibi relicto Clazomenas se contulisse. Cum igitur Diod. a Xenophonte non multum recedat Plut. plane contraria narrat. Quod quidem Lys. 5 Samo statim Phocaeam eum navigasse dicit, non multi momenti est, cum omissis nonnullis exordium finemque itineris recte tradiderit. Quod vero Alc. 35 in Cariam eum vectum esse narrat, cum non recte habere videretur, C. Fricke *Λυδίας* scribi jussit.[5]) Sed vereor ne minus recte egerit. Optime enim explicari potest vox *Καρίας*, quae (ut Buechs.[6]) monuit) plane non repugnat Xenophonti dicenti (I 4, 23) *κακεῖθεν* (i. e. ex Samo) *ὁρμώμενος ἐπολέμει*, quae res accuratius narratur a Diodoro (XIII 69): *ἐκπλεύσας* (ex Andro) *τήν τε Κῶ καὶ Ῥόδον ἐδῄωσε*; deinde apud Plutarchum additur *ἀργυρολογήσων*, quod neque ad Clazomenas neque Phocaeam, h. e. Lydiam quadrat, sed quadrat tantum ad Ko et Rhodum, i. e. Cariam.

Itaque de itinere Alcibiadis haec videntur statuenda esse: Andro ex insula Samum solvit, inde in mare ad meridiem versus profectus est, deinde Ephesum atque postremo Pho-

---

[1]) quod ne Gr. quidem negare audet. — C. Peter, comm. cr. 25 contendit, Xenophontis narrationem falsam esse, sed Diodori et Plutarchi rectiorem esse neque ille probavit neque omnino probari potest. — cfr. Breitenbach l. l. 513 sq.

[2]) quamquam Gr. progr. 20 hanc anacoluthiam inter eas enumerat, quas inusitatas dicit, non addens cur ita judicet. — cfr. editores ad Vigerum (ed. IV 1834) pg. 53 sq.

[3]) „Samos war der operationspunct der Athener“: Vischer, Alkib. und Lys. 33.

[4]) Vox *τειχίζειν*, in qua offendit Gr. progr. 21, hoc loco *ἅπαξ εἰρημένη* est pro *ἀποτειχίζειν* = „obsidere“. Sauppe in lexilogo s. v. vertit: „absperren“.

[5]) l. l. pag. 83 sq. [6]) l. l. pag. 232 sq.

caeam. Xenophon igitur, omnia cum rettulerit neglexit tantum accurate dicere nomen Cariae; quod nomen cum Ephorus addidisset Plutarchus praebet, qui quidem Alc. 35 hoc iter in Cariam factum confundit cum altero quo Epheso Phocaeam tetendit Alc., cum Lys. 5 priore omisso alterum tantum — ex eodem tamen Ephoro sumptum — praebeat. Itaque non cum Buechsenschuetzio sumo, Plutarchum ex pluribus fontibus congessisse materiam, sed duo illi loci conjuncti unum eundemque probant fontem affinem Xenophonti.[1])

Quae de pugna ad Notium commissa a Xenophonte (I 5, 11—14) et Plutarcho traduntur (Alc. 35; Lys. 5) jam si consideramus et comparamus, primum monendum est, Antiochi nomini apud Plutarchum (Alc. 35) addi haec: *ἀγαθὸς μὲν ἦν κυβερνήτης, ἀνόητος δὲ τἆλλα καὶ φορτικός*, quae apud Xenophontem non leguntur. Ne omissa ab epitomatore putentur Büchs. monet „talia vix apud Xenophontem locum habere posse cui aptiora sint Diodori verba (XIII 71): *ὁ δ' Ἀντίοχος ὢν τῇ φύσει πρόχειρος καὶ σπεύδων δι' ἑαυτοῦ τι πρᾶξαι λαμπρόν.*“ Equidem cum non intelligam cur Diodori haec magis sint apta Xenophonti quam quae apud Plutarchum legantur, affirmo, Buechsenschuetzium colligere non debere — id quod non apertis quidem verbis, tacite tamen fecit — a Plutarcho aut ipso Xenophontis verbis illa esse addita aut ex alio fonte sumpta. Statuendum potius est, in Plutarchi fonte, quem unum hanc pugnam describens ille secutus est, talia exhibita fuisse, quidus indoles Antiochi describatur. Et a quonam talia adjecta esse potius sumendum est Xenophonteae narrationi quam ab Ephoro?

Initium pugnandi Plut. duobus illis locis simillime describit, cum Xen. (I 5, 11) brevior sit. Nonnulla fere ad verbum eadem leguntur apud Xenophontem et Plutarchum,

cfr. Xen. *διέκπλευσε πρὸς Θρασύβουλον Ἀλκ., καταλιπὼν ἐπὶ ταῖς ναυσὶν Ἀντίοχον, τὸν αὑτοῦ κυβερνήτην.*

Plut. Lys. 5: *εἰς Φωκαίαν Ἀλκ. διέκπλευσεν ἐπὶ τοῦ στόλου καταλιπὼν Ἀντίοχον τὸν κυβερνήτην.*

et Xen. (§. 12): *ὁ δὲ Ἀντίοχος, τῇ τε αὑτοῦ νηὶ καὶ ἄλλῃ ἐκ Νοτίου εἰς τὸν λιμένα τῶν Ἐφεσίων εἰςπλεύσας κτλ.*

Plut. Alc.: *ὥστε τὴν αὑτοῦ πληρωσάμενος τριήρη καὶ τῶν ἄλλων μίαν ἐπιπλεῦσαι τῇ Ἐφέσῳ.*

Lys.: *ἐπέπλευσε δυσὶ τριήρεσι εἰς τὸν λιμένα τῶν Ἐφεσίων.*

Paullulum tantum variata sunt verba illa atque aliter collocata, quod etiam invenimus factum in eis quae sequuntur:

Xen.: *παρ' αὐτὰς τὰς πρῴρας τῶν Λυσάνδρου νεῶν παρέπλει.*

Plut. Alc.: *ὥστε — — παρὰ τὰς πρῴρας τῶν πολεμίων νεῶν πολλὰ καὶ πράττων καὶ φθεγγόμενος ἀκόλαστα καὶ βωμολόχα παρεξελαύνειν.*

Plut. Lys.: *παρὰ τὸν ναύσταθμον γέλωτι καὶ πατάγῳ χρώμενος σοβαρῶς παρήλαυνεν.*

Atque etiam quae apud Xenophontem non leguntur, Plutarchi illis duobus locis congruunt: Lys.: *ἐφυβρίζων καὶ θρασυνόμενος,*

Alc.: *ἐξύβρισε καὶ κατεφρόνησε.*

et Lys.: *γέλωτι καὶ πατάγῳ χρώμενος σοβαρῶς παρήλαυνεν.*

Alc.: *πολλὰ καὶ πράττων — — βωμολόχα.*

Inde cum Buechsenschuetzio dubium esse non videatur fontem Plutarchi fuisse ipsum Xenophontem, haec quae apud Xenophontem non leguntur ex alio fonte a Plutarcho addita putat, id quod colligit ex Pausan. IX 32, 6 eadem praebente. Sed Plutarcho multo aptior est

---

[1]) Ita etiam Kruegeri sententia refutatur, ad Dion. 343, adn. 140 b: „Cum Plut. Alc. 35 Alcibiadem in Cariam profectum esse narraret, observabat ei Xen. Hell. I 4, 8 sq.“ — cfr. Vischer l. l. 61, 40.

ea ratio qua statuitur, utroque loco eum ex Ephoro hausisse, qui rhetorum ex more Xenophontis narrationi illa addidit. Quod non prorsus eadem utroque loco traduntur ita explicaverim ut a Plutarcho ipso cautum esse dicam ne bis eisdem utatur verbis. Et Pausanias magis pro me videtur facere quam pro Buechsenschuetzio, cum etiam ejus fontem hoc loco ut tot aliis Ephorum fuisse non videam cur sumere non debeamus.[1])

Si Xenophontem ipsum ante oculos habuisset Plutarchus, num Alc. 35 ex alio fonte addidisset: *Ἀντίοχος ἔχων πρόσταγμα παρὰ τοῦ Ἀλκ. μηδ' ἂν ἐπιπλέωσιν οἱ πολέμιοι διαναυμαχεῖν*, cum apud Xenophontem diverso modo hoc legeretur jussum: *ἐπιστείλας (Ἀλκ. τῷ Ἀντ.) μὴ ἐπιπλεῖν ἐπὶ τὰς Λυσάνδρου ναῦς*? (ab utroque recedunt quae a Diodoro praebentur: *διακελευσάμενος τῷ Ἀντιόχῳ μὴ ναυμαχεῖν ἕως ἂν αὐτὸς παραγένηται*). Haec Plntarchus ex Xenophonte non habet neque habet ex Theopompo quem Diod. exscripsit: ergo sumpsit ex Ephoro. Ex Buechsenschuetzii igitur sententia statuendum esset Plutarchum ante oculos habuisse libros et Ephori et Xenophontis, et mox ex hoc mox ex illo eum pauca sumpsisse, cum simplicissime unum fontem exscribere potuisset. Atque secutus est revera unum Ephorum, pro quo etiam faciunt (ut recte monet Buechs.) illa verba quae de Antiocho scripta sunt ea de causa ut Alc. vituperetur quod tali homini classis imperium commiserit. Xen. Alcibiadem neque hoc loco vituperare voluit neque omnino vituperavit, Ephorus vero pronus erat ad vituperandum et ad judicia ferenda.

Proelium describens cum Plutarchus brevior sit utroque loco quam Xen., Buechs. haud satis recte videtur contendisse illum ab hoc non multum discrepare. Nam si Xenophon Antiocho cum duabus navibus praevecto Athenienses auxilio narrat venisse magna parte classis, et omnibus navibus tum demum cum etiam Lys. omnibus navibus eos aggrederetur, Plut. vero Athenienses statim omni classe obviam ivisse refert Lysandro Antiochum aggresso (Lys.: *Λυσ. ἰδὼν δὲ αὖ τοὺς Ἀθηναίους βοηθοῦντας ἄλλας ἐπλήρου*, Alc. *Λυσ. τῶν Ἀθηναίων βοηθούντων πάσαις ἀναχθείς κτλ.*), haec discrepantia mihi quidem tanta esse videtur, ut cogitari nequeat Plutarchum ex Xenophonte ipso narrationem suam hausisse.

Recte denique Buechsenschuetz Grossero oblocutus est monenti[2]) apud Xenophontem nunc non legi mortem Antiochi, rem illam memorabilem („die wichtige notiz"), quam tradat Plut. Alc. 35: *Λυσ. αὐτόν τε διέφθειρε τὸν Ἀντίοχον*. Jure enim quaerimus, num etiam Xenophonti haec mors digna sit visa quae commemoretur et num omnino memorabilis fuerit[3]). —

Transeo ad cladem quae Atheniensibus ad Athos flumen illata est a Lysandro: Hell. II 1, 22 sqq. —

Xenophontis §. 22, qua refertur quomodo pugnam paraverit Lysander, redit fere apud Plutarchum, Lys. 10 init.: *ὁ Λύσ. — — προσέταττε — τὸ παραγγελλόμενον*, ubi tamen etiam de pedestri exercitu Lacedaemoniorum sermo fit (*ὡς δ' αὕτως καὶ τὸ πεζὸν ἐν τάξει παρὰ τὴν θάλατταν ἡσυχάζειν*), quem Xen. non commemorat. Unde hoc sumpsit Plutarchus? Num ex vero opere Xenophonteo? At is in omni hac narratione quamvis satis accurata exercitus pedestris omnino mentionem non facit; qui igitur exercitus particeps pugnae non fuit, de eo etiam probari non potest Xenophontem hic locutum esse. Ex alio igitur fonte hoc cum videatur sumpsisse Plut. bonum exemplum putat invenisse Buechsenschuetz[4]), quo probetur, Plutarchum duos fontes

---

[1]) cfr. H. Stedefeldt l. l. pag. 53.
[2]) l. l. 93, 728. [3]) cfr. quae supra dixi pag. 10.
[4]) l. l. pag. 239.

conglutinasse, cui exemplo secundum additur §. 23: cujus verba cum redeant apud Plutarchum: *ἀνίσχοντος ἡλίου — οὐκ ἀντανήγετο* alterius deprehendit Buechs. fontis vestigium in verbis: *τῶν Ἀθηναίων μετωπηδὸν ἁπάσαις ἐπιπλεόντων καὶ προκαλουμένων* dictis pro: *οἱ Ἀθηναῖοι παρετάξαντο ἐν μετώπῳ, ὡς εἰς ναυμαχίαν.* Profecto haec verba ex Xenophonte non sunt sumpta cum congruant cum Diod. XIII 105: *ἐπιπλέοντες [οἱ Ἀθηναῖοι] εἰς ναυμαχίαν προεκαλοῦντο.* Sed singula vocabula ex diversis fontibus congesta atque in unum enuntiatum conglutinata esse a Plutarcho non possumus statuere, atque tota haec narratio tam bene fluens, cujus omnes partes tam bene conjunctae sunt, non videtur tribuenda esse Plutarcho compilatori sed unum fontem exscribenti.

Non fugit Buechsenschuetzium Plutarchum accuratiorem esse quam Diodorum in eis quibus narrat Athenienses ad pugnam aliquoties Lysandrum provocasse neque tamen commissum esse proelium; Plut. enim quid singulis diebus factum sit narrat, Diodorus de omnibus diebus in universum loquitur. Sed etiam in hujus fonte accurate de singulis diebus dictum fuisse colligit B. ex initio capitis 106, ubi verba *ἐκείνην τὴν ἡμέραν* non satis caute usurpata esse ei videntur. At habent illa verba bonum sensum etiamsi non sumimus in Diodori fonte de singulis diebus singillatim fuisse narratum: Nam cum in eis quae antecedunt narraret Diod. colloquium Alcibiadis cum Atheniensium ducibus, *ἐκείνη ἡ ἡμέρα* idem ille est dies quo colloquium est habitum. Deinde verba Diodori c. 105, quae nunc cum Plutarcho comparavi, exscribens B. duo omisit vocabula: *καθ' ἡμέραν*, quae ostendunt in Diodori jam fonte summatim has res fuisse narratas[1]). — Aliud vero vestigium duorum fontium Plutarchi invenisse sibi visus B. in eo quod bis eadem narrata sint apud eum vereor ne egregie falsus sit. Quae enim Plut. dicit: *ὁ Λύσανδρος προσέταττε ναύταις — περὶ ὄρθρον ἐμβαίνειν εἰς τὰς τριήρεις καὶ καθέζεσθαι — δεχομένους τὸ παραγγελλόμενον*, et deinde *ἀντιπρῴρους ἔχων τὰς ναῦς καὶ*[2]) *πεπληρωμένας ἔτι νυκτὸς οὐκ ἀνήγετο, πέμπων δὲ — — ἀτρεμεῖν ἐκέλευε κτλ.*, eis bis narrari putat naves armatas esse ante solis ortum, militesque jussos silentium agere. Facile vero intelligitur quinam differant duo illa enuntiata: Prioribus verbis addita est temporis nota *περὶ ὄρθρον*, posterioribus alia: *νυκτός*; priore loco narratur mane milites in navibus collocatos esse, posteriore, eos vespere adhuc in navibus et suo quemque loco fuisse; secundum priora jussi sunt milites silentium agentes exspectari quid praecipiatur, secundum posteriora in primo ordine collocatae naves jussae sunt loca sua tenere neque pugnam committere; denique — id quod summum videtur — illa jussa sunt priore die ut fierent posteriore, haec facta posteriore die. Idem igitur inter hos locos est discrimen quod esse solet inter jussum datum et perfectum: qua de causa argumentum haec verba non praebent quo probari possit, Plutarchum etiam ubi fere sequatur Xenophontem ex aliis fontibus nonnulla addidisse.

In eis quae sequuntur apud Plutarchum, *οὕτω δὲ κτλ.* quae cum Xenophonte ita congruunt, ut ex eo sumpta esse Buechsenschuetzio videantur, („eine bearbeitung Xenophons") proprius tamen Plutarcho est numerus navium a Lysandro praemissarum, quae hostes observarent, *δύο καὶ*[3]) *τρεῖς τριήρεις*, quas Xen. dicit *τὰς ταχίστας τῶν νεῶν* (§. 24). Recte igitur cum statuat Buechs. ex Xenophonte haec verba non esse sumpta[4]), tamen non est verisimile

[1]) quae verba Gr. progr. 21 Xenophonti addenda putat, cum necessaria plane non sint..

[2]) hanc particulam Buechs. omisit.

[3]) De hoc usu particulae *καὶ* cum numeralibus conjunctae et „*vel*" significantis cfr. praeter Sintenisium ad l. (ed. 1841) Krueger 69, 32, 4; ad An. IV 7, 10 (ubi tamen ceteri editores *δύο ἢ τρία βήματα* legunt), ad Thuk. I 82, 3; Dindorf ad de re eq. IV 4 (ed. Oxon.); Schoemann ad Jsaeum p. 307.

[4]) quī enim fieri potuisset, ut his numeris omissis epitomator scriberet *τὰς ταχίστας*? cfr. H. Stedefeldt l. l. pag. 52.

ea a Plutarcho aliunde esse addita: ostendunt potius per totam hanc narrationem Xenophontem non fuisse fontem Plutarchi.

Verba Xenophontis §. 24: *ταῦτα δ' ἐποίει τέτταρας ἡμέρας· καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἐπανήγοντο* cum copiosiora redeant apud Plutarchum: *τῇ δ' ὑστεραίᾳ πάλιν ἐγίνοντο ταῦτα καὶ τῇ τρίτῃ μέχρι τετάρτης, ὥστε κτλ.* scripta dicit B. a Plutarcho ex more rhetorum. Profecto rhetoris disciplinam redolent, eaque de causa Ephoro mihi videntur tribuenda, qui rhetor fuit et *ῥητορικῶς* multa scripsit.

Pervenimus nunc ad Alcibiadis cum Atheniensium ducibus colloquium quod Xen. §. 25 refert, quocum Plut. Alc. 36 et 37, Lys. 10 multis rebus congruit, cum ab eis Diod. XIII 105 et Corn. Nep. Alc. 8 abhorreant (Theopompum uterque secutus).

Plutarchus eadem fere utroque loco narrans nonnulla aliter tradit quam Xenophon; ut non videatur statui posse eum ex illo ipso hausisse. Sic cum Xen. §. 25 accurate tradat *quindecim* stadiorum fuisse iter ab urbe Sesto ad naves Atheniensium, Plut. *πόρρωθεν* tantum dicit *ἐκ Σηστοῦ τὰ ἐπιτήδεια λαμβάνοντας*. Deinde quae de Lysandri copiis traduntur non congruunt:
Xen. §. 25: *τοὺς πολεμίους ἐν λιμένι καὶ πρὸς πόλει ἔχοντας πάντα*;
Plut. Lys. 10: *τῶν πολεμίων ἐφορμούντων στρατεύματι μοναρχουμένῳ κτλ.*
Alc. 36: *ἀντεφορμοῦντος αὐτοῖς στόλου πρὸς ἐπίταγμα μοναρχικὸν εἰθισμένου σιωπῇ πάντα ποιεῖν.*

Quae ad urbis Sesti nomen addentem facit Alcibiadem Xen.: *οὗ ὄντες ναυμαχήσετε ὅταν βούλησθε* Plut. non habet, atque de ducibus Atheniensium Alcibiadi qui responsum dant, non plane eadem referuntur: Xen. enim Tydea et Menandrum cum nominet, Plut. solum Tydea dicit (cum Diod. et Nepos Philoclea dicant). Verba eorum fere eadem traduntur apud utrumque, cum levissimum sit a Plutarcho *ἑτέρους στρατηγεῖν* dici, a Xenophonte *αὐτοί στρ.*[1]) Denique proditionis fuisse suspectos duces Atheniensium Alcibiadi addit Plut., quod non legimus apud Xenophontem. Quae omnia, quamquam singula haud multi momenti esse jure diceres, conjuncta certissime probant, Xenophontem ipsum a Plutarcho non inspectum fuisse.

Sed tam facili opera his locis me defungi Cyprianus et Gr. non permittunt, qui in eis varia invenisse sibi visi sunt, quibus sententiam suam firmarent. Cypr. contendit[2]), propter verba *ἀπιέναι* et *ὤχετο* (§. 26) necessario addendum fuisse etiam adeundi aliquod verbum (Plut. *ἵππῳ προσελάσας*), cum nunc narratum sit Alcibiadem mansisse in suo castello et *ex eo* collocutum esse cum ducibus et cum verbo *ἔφη* probaretur Alcibiadem ad duces venisse. Simillime Gr.[3]) mirum putat, Alcibiadem ex ipso castello duces vituperasse, cum paullo post legatur eum redisse. — Contra eos disputans Buechsenschuetz recte dicit per se patere, non ex castello Alcibiadem cum ducibus colloquium habuisse (quisque enim sanae mentis homo sponte intelligit, Alcibiadem antea *se contulisse ad duces*[4])), cum verba Xenophontis nihil con-

---

[1]) Sic in novissima editione (Berolini 1873) etiam Breitenbach legit, cum in priore editione *αὐτούς* defendat (cfr. Zeitschr. für Alterthumsw. 1851, 492). — De nomin. c. inf. optime exponit Herm. ad Vigerum 742, 151.

[2]) l. l. pag. 58.

[3]) l. l. 93, 729; 105, 738; progr. 21; qui quo jure desideret apud Xenophontem aliquid de rebus ab Alcibiade gestis inde ab I 5, 17 usque ad hoc tempus, collatis Plut. Alc. 36 (*συναγαγῶν ξένους*) et Diod. XIII 74, equidem plane non capio.

[4]) Satis inania sunt quae Gr. 105, 738 dicit: „ist denn darum, weil ein gesunder leser bei einem logischen sprunge die ergänzung sich selbst machen kann, ein classischer autor zu einem solchen berechtigt?“ Affirmo equidem. Cfr. K. W. Krueger ad Xen. An. II 4, 5: „Missdeutigkeiten pflegten die Griechen, *nur auf verständige leser rechnend*, nicht ängstlich zu vermeiden.“

tineant nisi hoc: Alc. malam conditionem Atheniensium ex castello suo cum videret duces eorum allocutus est. Similem laudat Buechs. locum III 4, 25 sqq., ubi Agesil. ad legatos Tithraustis sermonem habens subito Tithraustem ipsum oratione recta alloquitur; similis etiam est locus quem I 1, 35 legimus: *Ἄγις ἐκ τῆς Δεκελείας ἰδὼν πλοῖα πολλὰ σίτου εἰς Πειραιᾶ καταθέοντα, οὔδὲν ὄφελος ἔφη εἶναι — εἴργειν κτλ.* Quae duo exempla demonstrant Xenophontem non dubitasse ea omittere, quae per se patere viderentur. Buechs. tamen, a Plutarcho duo illa verba (*ἵππῳ προσελάσας*) ex alio fonte addita esse ceteris ex Xenophonte sumptis contendens, eodem quo semper errore captus est, neque Diodorum debebat conferre, qui *Ἀλκιβιάδου ἐλθόντος* dicens nihil probat; neque Nepotis verba cum Plutarchi comparata Buechsenschuetzium juvant, quod tamen exponere longum est.

Deinde ex fine §. 25 ubi ex oratione obliqua subito transitur in rectam colligens Gr. nunc in Hellenicis reliquias tantum exhiberi verborum Alcibiadis in vero opere recta oratione traditorum, plane oblitus esse videtur[1]) talem transitum saepe et apud alios scriptores Graecos et apud Xenophontem inveniri, ut in vero etiam opere ita scriptum esse posset.[2]) Eadem de causa Cypr.[3]) offendit in verbis, quae leguntur I 1, 28, ad quem locum alia hujus transitus exempla ex Xenophonte desumpta laudantur ab editoribus, quibus alia multa addi possunt.[4])

Deinde Gr., offendens in verbo *μεθορμίσαι* absolute quod dicitur usurpato, ex Plutarcho objectum *τὸν στόλον* addendum putat omissum ab epitomatore, atque eadem est sententia Cypriani.[5]) Valent de hoc argumento quae supra breviter de *ἅπαξ εἰρημένοις* disputavi[6]), quibus addo (quod recte Buechs.[7]) monere videtur), eo quod haec vox absolute usurpata in usum non fuerit, esse factum ut a Plutarcho objectum adderetur. Paullo ante simillimum fecit Plut.: pro *ἐξεβίβασεν* a Xenophonte absolute posito (§. 24) dicens: *τοὺς στρατιώτας ἀφῆκεν.*[8])

Ex verbis deinde quae leguntur in §. 27: *ὅπερ ἐποίουν πολὺ μᾶλλον καθ' ἑκάστην ἡμέραν*, Cypr. colligit[9]), in opere vero accuratam de singulis diebus exstitisse narrationem qualem exhibeat Plut. Lys. 10. Sed verba quae nunc in Hellenicis leguntur plane perspicua sunt omniaque eis continentur quae dicenda erant et Plutarchea illa supra jam judicavimus rhetorem redolere.

In eadem denique §. Gr.[10]) desiderat causam cur scutum tolli jusserit Lysander in eis navibus quae Athenienses observarent, quam apud Plutarchum Lys. 11 additam legamus, *ἐπίπλου σύμβολον*. Quod tamen additamentum non modo plane supervacaneum est, cum causa per se intelligatur, sed etiam falsum, cum *ἐπίπλου* signum revera illud non fuerit, quod impetus faciendi signum Lys. ipse dat etiam secundum Plutarchi narrationem.[11])

Cladem ipsam simillime ac Xen. §§. 28 sq. Plut. describit Lys. 11 et breviter Alc. 37. Quam orationem Lysandrum habuisse Plut. narrat, Xen. non praebet. Pro verbis Xenophontis *συμπαρῇει δὲ καὶ Θώραξ τὸ πεζὸν ἔχων* Plut dicit: *ἡμιλλῶντο οἱ πεζοὶ παρὰ τὸν αἰγιαλὸν ἐπὶ τὴν*

---

[1]) quod tamen se bene scire affirmat 105, 738; — progr. 20 hujus mutationis nullam causam esse dicit („ganz unmotivierter wechsel"); sed num aliis locis, v. c. Anabaseos, haec variatio minus est „unmotiviert"?

[2]) cfr. Buechsenschuetz l. l. 242. [3]) l. l. 54.

[4]) cfr. Krueger in indice ed. An. v. „übergang"; ad Dionys. 205: „Saepe Graeci ex oratione obliqua ad rectam transeunt; qui quantum in hac re sibi indulserint, ostendunt optime Thuk. I 139; *Xen. Hell. I 1, 28* An. I 3, 14; 16. cfr. Heindorf ad Plat. Prot. §. 35 pg. 510."

[5]) l. l. pag. 64. [6]) pag. 15 sq. [7]) l. l. 243.

[8]) Non satis recte Buechs. dicit a Plutarcho objectum esse additum verbo *ἐκβιβάζειν*, cum plane aliud verbum ille usurpaverit.

[9]) l. l. pag. 58. [10]) l. l. 93, 729 sq.

[11]) cfr. Buechsenschuetz l. l. 244.

ἄκραν, quae intelligi cum non possint Buechs.[1]) ex alio fonte a Plutarcho addita esse contendit, cum equidem putaverim etiam hoc loco probari Xenophontem a Plutarcho inspectum non esse. Nam cur Plut. non totum enuntiatum ex illo sumpsit?

Numerus captorum Atheniensium, qui a Plutarcho refertur (Lys. 11; 13: τρισχιλίους ἄνδρας), quem apud Xenophontem non legimus, ab epitomatore omissus est ex sententia Cypriani, cum aliis locis minores numeri accurate sint traditi (velut I 2, 5): Non reputavit Cypr. permultis etiam locis a Xenophonte numerum aut magnum aut parvum non accurate referri.[2])

Cum porro quae de deletis castris Atheniensium etc. narrat Plut. ἀναδησάμενος τὰς ναῦς καὶ διαπορθήσας τὸ στρατόπεδον κτλ. abhorreant a Xenophonte atque ex eo sumpta esse nequeant, et cum quae de Conone cum octo navibus fugiente et de paralo navi Athenas vecta apud Xenophontem traduntur (§. 29) accuratiora sint quam quae Plut. refert, qui Lys. 11 τὴν πάραλον tum demum commemorat ubi de Lysandri praeda verba facit, et Alc. 37 de octo navibus Cononis loquens paralum plane omittit[3]), quam dilucidissime, ni fallor, apparet, Xenophontem ipsum Plutarchi fontem omnino non fuisse.

Quod vero Cypr. dativum neglegenter ab epitomatore omissum dicit ad verbum ἀπήγγειλε addendum, velut τοῖς ἐφόροις, τοῖς τέλεσι, profecto potuit talis dativus addi; sed eum revera hoc loco ejectum esse, cum scriptus fuisset a Xenophonte, non puto, cum saepius non addito dativo hoc verbum usurpatum inveniatur apud Xenophontem.[4])

Luculentissimum denique argumentum, quo probetur thesis, loco qui legitur II 1, 32 praeberi Cypr.[5]) et Gr.[6]) contendunt. Ibi enim cum narretur quid Lysander ex Philocle quaesiverit, neque vero ejus responsum addatur, locum male habere putant atque ex Plut. Lys. 13 responsum Philoclis esse recipiendum (ἐκέλευσε μὴ κατηγορεῖν ὧν οὐδείς ἐστι δικαστὴς ἀλλὰ νικῶντα πράττειν ἅπερ ἂν νικηθεὶς ἔπασχεν)[7]). Quod tamen non ita necesse esse videtur, cum, ex Xenophontis narratione, qualem nunc legimus in Hellenicis, Lysander quaereret quidem, responso autem Philoclis non respecto statim juberet eum interfici, quod a natura Lysandri non videtur abhorrere. Potest verum etiam sumi, Philoclem, superbum hominem, responsum plane non dedisse et denuo ῥητορικῶς ab Ephoro illud esse additum, quod apud Plutarchum legimus.[8])

---

[1]) l. l. 244.

[2]) cfr. quot exempla laudat Aem. Müller l. l. 5, ann. 2.

[3]) Non recte Fricke l. l. 94 dicit, Plutarchum *utroque loco novem* naves cum Conone fugientes facere. — Cur Grote auctore Lysia (XXI 11) potius nisus sit quam Xenophonte, non liquet: VIII 296: „Out of all the total of 180, *only twelve* were found in tolerable order and preparation," et „Konon's attempt was desperate and the utmost which he could do was to escape himself with the small squadron of *twelve* including the paralus," et 297: „Konon — sending the paralus with some others *of the twelve* fugitive triremes to Athens."

[4]) Exempla praebet Sturz, lex. Xenoph. I 291.

[5]) l. l. 59. Φιλίστῳ 456: τὸ ἐρωτήσας τότε μόνον ἔχει λόγον ἂν ἀνεγράφετο καὶ ἀπόκρισις τοῦ στρατηγοῦ ἐκείνη ἧς μνημονεύει ὁ Πλουτ. ἢ ἄλλη τις, διότι τοῦτο εἶναι ἀδιάφορον· ἀλλὰ γυμνὴ ἐρώτησις τοῦ Λυσάνδρου ἄνευ ἀποκρίσεως τοῦ στρατηγοῦ εἶναι ἀκατανόητον πρᾶγμα.

[6]) l. l. 93, 730; 105, 737; progr. pg. 21.

[7]) Eadem jam Weiskii fuerat sententia. Etiam L. Dindorf ed. Teubn.[3] 1868 pg. XIV sq. similem profitetur sententiam; „mira igitur Xenophontis verba, si nihil hīc desit"

[8]) Sic Grote rem intellexit VIII 299: „Philocles taunted by Lysander with his cruel execution of the Corinthian and Andrian crews *disdained to return any answer*, but placed himself in conspicuous vestments at the head of the prisoners led out to execution", quam tamen explicationem Grosser falsam esse affirmat: „Grote hat die lücke falsch verstanden." — E. Curtius II 702 Plutarchum secutus est.

Deinde cum jam in universum de fontibus Plutarchi contrariam sequar sententiam, hoc loco de Xenophonte quominus cogitemus Plut. ipse prohibet, Theophrastum fontem nominans (Lys. 13: *ὡς ἱστορεῖ Θεόφραστος*). Summa est audacia Grosseri qui contendit, quamquam *alia* ex Theophrasto se sumpsisse Plut. ipse dicat, haec tamen ex Xenophonte hausta esse. Plut. non *alia* ex Theophrasto sumpta esse dicit sed hanc ipsam de morte Philoclis narrationem, cum qua Lysandri et Philoclis verba quam arctissime cohaerent.[1]) Atque qua de causa Gr. dubitaverit de Theophrasto, putans *Θεόπομπος* scribendum esse, equidem plane non percipio: quidni enim cogitamus de Theophrasto Eresi nato quem praeter alios libros etiam *ὑπομνήματα ἱστορικὰ* conscripsisse scimus[2]) et ex quo aliis quoque locis hausisse Plutarchum constat[3])?

Majore jure Cypr. et Gr. provocare potuissent ad codicis D (Parisini 1642[4])) auctoritatem, responsum Philoclis aliaque addentis: [*παρανομεῖν*], *νικήσας, ἔφη, ποίει, ἃ παθεῖν ἔμελλες ἡττηθείς, εὐθὺς τοῦτον ἀπέσφαξε μετὰ τῶν ἄλλων στρατηγῶν.* Quod additamentum G. Sauppe, qui accurate hunc codicem excussit, quamquam memorabilem dixit et quodammodo defendendum[5]), in edit. Tauchn. tamen non recepit in textum atque magis jam videtur probasse Breitenbachii sententiam mihi quoque probatam[6]): „mihi quidem non dubium est quin additamentum istud ex Plutarcho ad marginem codicis alicujus sit scriptum et inde, quamvis inconcinnam redderet orationem, in verborum contextum esse receptum. Xenophontis verba, ut nunc sunt, integrum habent sensum, neque, opinor, ipse Weiskius quidquam desiderasset, si Plutarchi de hac re non haberemus narrationem.“[7])

Ultimam tractabo pugnam Coronensem: Hell. IV 3, 15 sqq.

In §. 15 cum enumerentur ei qui a Thebanorum et Lacedaemoniorum partibus stabant, inter eos qui cum Agesilao sunt refertur etiam *οὗ Ἡριππίδας ἐξενάγει ξενικοῦ*, de quo non satis recte judicare videtur Grosser[8]). Herippidas enim unus e triginta illis erat qui more Lacedaemoniorum ducem comitabantur (III 4, 20; IV 1, 20 sqq.), eumque Agesilaus praefecerat reliquiis Cyreorum, quibus Xenophon antea praefuerat (III 4, 20: [*Ἀγησίλαος ἔταξε*] *Ἡριππίδαν ἐπὶ τοὺς Κυρείους*). Inde patet hoc loco *ξενικὸν* illud esse ipsos Cyreos, vel potius partem praecipuam ejus *ξενικοῦ* eos fuisse, cum alii etiam socii sub Heripidae essent imperio[9]), neque debet Grosser ex hoc loco coll. cum III 2, 7 (*ὁ τῶν Κυρείων προεστηκώς*, ubi Xen. dictus esse et mihi videtur[10])) colligere, Xenophontem ipsum huic pugnae affuisse: quod tamen aliis e locis (velut e Plut. Ages. 18 coll. cum Xen. An. V 3, 6) patere non negaverim.[11])

---

[1]) Etiam Plutarchea: *τίνα τιμᾶται δίκην ἑαυτῷ τοιαῦτα περὶ Ἑλλήνων συμβεβουλευκὼς τοῖς πολίταις* vix hausta esse possunt ex Xenophonteis: *τί εἴη ἄξιος παθεῖν ἀρξάμενος εἰς Ἕλληνας παρανομεῖν.*

[2]) cfr. A. Schaefer, quellenkunde pg. 86.

[3]) cfr. Fricke l. l. pagg. 52; 56; 95; 98. — *Πανταζίδης* l. l. 123 sq.

[4]) quem cum non diligenter scriptum judicavit Dindorf (ed. Ox. pg. 14, cfr. ed. Teubn. l. l.: „nullius fidei librum“), G. Sauppe (quaest. Xen. IV 1861 pg. 1) simul cum codice B inter Parisinos longe praestare affirmat et paene ejusdem dignitatis esse ac B. quem Dindorf secutus est. — cfr. A. Laves. l. l. 34 sq.

[5]) quaest. Xen. IV pag. 6.

[6]) edit. Hellen. 1853. vol. II pag. XXII.

[7]) cfr. Dindorfium ed. Ox. ad V 4, 14 dicentem, quamquam hujus additamenti ignarum, aliquoties hujus codicis D librarium lacunas audacibus conjecturis explevisse. — A. Laves l. l. verba illa in contextum recipienda censet.

[8]) l. l. 105, 737.

[9]) cfr. Herbst nov. ann. phil. 77, 690.

[10]) cfr. Nitsche l. l. 30; G. F. Hertzberg, das leben des Königs Agesilaos II von Sparta, pg. 47; 257, 50.

[11]) cfr. C. G. Krueger, de Xenophontis vita pag. 22 sqq. = Philologisch-historische studien II 276 sqq. — Hertzberg, l. l. pag. 280, 135 d. — Hub. Beckhaus, de Xenophonteo qui fertur Agesilao, 1863, pg. 50.

Desiderat deinde Grosser accurate relatum numerum Thebanorum et Lacedaemoniorum, cum IV 2, 16—18 numerus eorum qui pugnae Nemeaeae affuerint fuse traditus sit et cum voces *πολὺ πλέονες, παραπλήσιοι ἀμφοτέροις τὸ πλῆθος* probent in vero opere accuratos numeros fuisse exscriptos. Quae causae inanes sunt. Nam quod aliis locis numerum eorum qui pugnant accurate Xenophon rettulit, necesse non est eum etiam hoc loco idem fecisse, etiamsi re vera — neque vero semper — easdem res iisdem verbis referre soleat; neque ex verbis *πελτασταί — πολὺ πλέονες οἱ μετ' Ἀγησιλάου· ἱππεῖς δ'αὖ παραπλήσιοι ἀμφοτέροις τὸ πλῆθος* illud sequitur quod Gr. contendit. Dici enim rectissime potest: „peltastis Agesilaus superior erat Thebanis, cum equitatus alterius exercitus alteri fere par esset"; hoc recte dicitur etiamsi neutrius exercitus numerus traditus est.

Porro Gr. offendit in verbis §. 16: *διηγήσομαι δὲ καὶ τὴν μάχην*, quae sine ulla causa dicta putat („unmotiviert") cum multa minoris momenti proelia Xen. rettulerit. Libenter concedo nullam perspici causam cur Xen. haec verba addiderit, cum quam maxime mirum esset si hanc pugnam illustrem non descripsisset: ita tamen non probatur, haec verba a Xenophonte alio modo scripta fuisse: neque recte putat Gr. in vero opere haec fere dicta fuisse: *διηγήσομαι δὲ καὶ τὴν μάχην ὡς σαφέστατα, ὡς αὐτὸς παραγενόμενος καὶ συναγωνισάμενος τῷ Ἀγησιλάῳ* (ex Plut. Ages. 18)[1]). Nam Xenophon numquam semet ipsum aut res quas gessit vel quibus interfuit commemorans primae personae utitur forma.

Verba Xenophontis *καὶ γὰρ ἐγένετο οἷα οὐκ ἄλλη τῶν γ' ἐφ' ἡμῶν*[2]) fere redeunt apud Plutarchum Ages. 18[3]) sed mutata tamen: *λέγει τὴν μάχην ὁ Ξεν. ἐκείνην οἵαν οὐκ ἄλλην τῶν πώποτε γενέσθαι*, quae verba Buechsenschuetz[4]) a Plutarcho ipso mutata dicit „zum zwecke des effects" quam tamen artem rhetoricam Ephoro equidem tribuerim. Ex Plut. enim apophthegm. p. 212a, quem locum laudat B. (*τὴν μεγίστην μάχην, ὥς φησιν Ξεν., τῶν καθ' ἑαυτοῦ γενομένων*) certo colligi nequit, Plutarchum Hellenica ipsa umquam legisse: ex florilegio quodam, qualia Plutarchi temporibus multa exstabant, eum sumpsisse illa verba statuerim.

Xenophontis nunc narratio cum difficilis esset neque ab omni parte satis perspicua, cum igitur libenter auxilium aliunde peteremus, quo adjuti explicaremus difficultates, a Plut. quem ex vero Xenophonte hausisse contendunt Grosser et Cyprianus non ita adjuvamur ut omnes rationes pugnae satis intelligamus; neque verum est quod Grosser affirmat, Xenophontem et Plutarchum alterum ab altero expleri[5]).

Progrediuntur[6]) copiae Agesilai a Cephisso i. e. hoc flumen a tergo habentes, ut ad meridiem spectarent, Thebani ab Helicone, ad septemtriones spectantes. Cum utraque acies

[1]) Cur epitomator haec verba omisit si in *πρωτοτύπῳ* ea invenit? Respondet Gr. l. l. 737: „dem epitomator *passten* diese worte *nicht mehr*."

[2]) Apte conjicit Hertzberg l. l. pag. 91 ann. proelio, quod vespere inter Thebanos et Agesilaum committebatur atrocissimo et cruentissimo, maxime effectum esse ut totam hanc pugnam gravissimam totius sui aevi diceret Xenophon; neque minus apte monet Xenophontem proeliis ad Corinthum, ad Leuctra, ad Mantineam posthac commissis non adfuisse. — cfr. E. Cauer, de fontibus ad Agesilai historiam pertinentibus pars I pg. 9. — Nitschio (l. l. 5) cum Grossero (95, 743) affirmanti, haec verba ante proelium Leuctrense scripta esse recte obloquuntur Schambach l. l. pg. 23, Jungmann l. l. pg. 140, Breitenbach, Z. G. W. 1871, 717. — cfr. Grote history IX 437. Plane aliam profert sententiam H. Beckhaus progr. pg. 8.

[3]) Quem solum comparandum puto, cum Diodorus Polyaenus Frontinus breviores sint et perpauca tantum propria habeant.

[4]) nov. ann. phil. 105, 254.

[5]) l. l. 737: „Plut. und Xen. widersprechen sich nicht, sondern sie ergänzen sich."

[6]) Post meridiem demum pugnam committi coeptam esse statuit Hertzberg l. l. pag. 278 ann. 135 b. cum Köchlyo et Rüstowio, „geschichte des griechischen Kriegswesens" pg. 158, quos ille sequitur.

esset instructa Agesilaus ipse sui exercitus tenebat dextrum cornu, Orchomenii extremum sinistrum. Contra Thebani ipsi in dextro erant, Argivi in sinistro. Utriusque aciei quaenam copiae medium tenuerint non traditur in Hellenicis neque apud Plutarchum, qui illa eodem modo ac Xen. refert[1]): unde Grossero, opinor, colligendum est, ne in vero quidem quod statuit opere Xenophontis haec quae desideramus tradita fuisse, cum quam nunc profert causam cur Plut. mediam aciem omiserit[2]), me non intellexisse fatear.

Magno primum silentio cum uterque exercitus progressus sit (§. 17) Thebani primi ululantes procurrunt manus conserturi. Difficultatem praebere videtur vox *οἱ Θηβαῖοι*, quae cum in §. 16, ut postea etiam in §. 18, usurpata sit de Thebanis ipsis atque solis in dextro cornu collocatis, hoc loco de eis solis non potest dictum esse, ut Grosser vult[3]), sed totum exercitum significat dimicaturum cum Agesilao: quod quamquam Gr. fieri non posse dicit et quod profecto obscuriorem paullo reddit locum, tamen statuendum mihi videtur[4]). Cum Thebanis enim ipsis, qui in dextro hostium cornu erant collocati, Herippidas non pugnabat sed cum eis qui mediam tenebant aciem.

Xenophon igitur totum exercitum, cujus major et praecipua pars Thebani erant et cui praeerant Thebani, hoc loco *Θηβαίους* nominat[5]), atque totum hunc exercitum neque vero dextrum solum cornu, in quo tamen Thebani initium procurrendi fecerunt, procurrisse contra Agesilai exercitum narrat[6]). — Quibus occurrunt ab Agesilai exercitu Cyrei Herippida duce atque cum eis Hellespontii[7]), manibusque consertis in fugam vertunt hostes sibi oppositos (*τὸ καθ' αὑτούς*): sine dubio eos qui Thebanorum in media acie erant, Athenienses Corinthios Aenianes Locros Euboeenses, quos etiam procurrisse neque solos Thebanos vox *ἀντεξέδραμον* probat, *ἀντεκτρέχειν* enim non possunt milites nisi eis qui ipsi procurrunt, ut obviam ire non possum ei qui stat, sed soli ei qui ipse it.

Argivi deinde (laevum cornu Thebanorum), in quos Agesilaus cum dextro cornu impetum facit (quod tamen referre Xen. plane neglexit), impetum non sustinent sed terga vertentes ad Helicona fugiunt[8]). Vix explicanda est particula *μέντοι* in enuntiato hoc (§. 17): *Ἀργεῖοι μέντοι οὐκ ἐδέξαντο τοὺς περὶ Ἀγησίλαον*: Particula enim illa oppositionem aliquam indicat qualis tamen nulla e connexu sententiarum intelligitur[9]). Nam quae Grosser profert ut hanc

[1]) a neutro etiam duces Thebanorum sociorumque nominantur, ut monet Hertzberg l. l. pag. 88.

[2]) l. l. 105, 734 sq. [3]) l. l. 105, 734.

[4]) Simili modo nuper Francogalli non modo veros Borussos sed omnes Germanos, qui rege Guilelmo duce bellum iis faciebant, nominaverunt „Prussiens", etiam Bavariae, Saxoniae ceterarum rerum publicarum Germanicarum milites; sic memini me aliquando legisse in diario quodam: „Aujourd'hui un regiment *d'infanterie prussienne* passait notre ville: c'étaient des *sujets du duc de Brunsvic* etc." — Sine dubio non est accuratissimi scriptoris ita negligentius verbis uti; sed Xenophon Hellenica scribens non tam accuratus est auctor quam Cyri expeditionem referens.

[5]) cfr. Buechsenschuetz l. l. 105, 254 sq.

[6]) quod cum Grotio IX 436 et Lachmanno (ni fallor) l. l. I 166 rectius statuere mihi videor quam Köchly et Rüstow l. l.; E. Curtius III² pag. 180. — Hertzberg l. l. pag. 280 ann. 135 e/β haec dicit: „aus Xen. geht es keineswegs *mit nothwendigkeit* hervor", quibus rectis falsa haec adduntur: „allenfalls *mag* es noch vom centrum gelten, von den Argeiern aber gewisz nicht." Valet de Argivis eodem modo quo de eis, qui mediam tenebant aciem.

[7]) quos in media Agesilai exercitus acie collocatos fuisse recte statuit Gr. l. l. 734 cum Köchlyo et Rüstowio cett.

[8]) Paullo aliter Diod. XIV 84: *Θηβαῖοι — κατεδίωξαν, οἱ δ' ἄλλοι μικρὸν ἀντισχόντες χρόνον ὑπ' Ἀγησιλάου — φυγεῖν ἠναγκάσθησαν*: quae diversitas parvi momenti cum profecto sit, probat tamen, ne hac quidem in pugna narranda Plutarchi Diodorique fontem eundem fuisse.

[9]) cfr. Buechsenschuetz l. l. 105, 255.

particulam explicet[1]), duas partes aciei Thebanae, Thebanos ipsos et qui medium tenebant, impetum fecisse, Argivos contra, tertiam partem aciei, non modo non ipsos aggressos esse, sed ne sustinuisse quidem Agesilai impetum, — recte non habent, si recte equidem statui, omnem aciem Thebanam aggressuram procurrisse. Quorum in mediam aciem cum *ἀντεξέδραμον* copiae Herippidae, in sinistrum cornu *ἀντεξέδραμε* Agesilaus: quod nunc in Hellenicis non legitur, neque in vero opere Xenophontis scriptum fuisse Grossero videri potest. Plut. enim, in tota hac priore parte pugnae narranda cum non modo non uberior sit Hellenicis verum multo brevior, omnino non juvat ad difficultates explicandas vel removendas quas Xenophontis narratio praebet. Itaque nullam video aliam rationem, qua particulam illam q. e. *μέντοι* defendam, quam ut statuam Argivos impetum Agesilai non sustinentes opponi copiis mediae aciei manus conserentibus: cui tamen oppositioni si hanc particulam minus aptam dicis, equidem non obloquor.

Omnes igitur hostes a copiis Agesilai ipso incursu funduntur exceptis Thebanis qui vertunt Orchomenios. Jam cum nonnulli *ξένοι* jam coronent Agesilaum victorem, ei nuntiatur Thebanos perrupta acie Orchomeniorum inter impedimenta et calones esse. Rex statim inverti jubet aciem[2]) (*ἐξελίξας τὴν φάλαγγα*) ut qui ad meridiem spectaverant milites ad septemtriones nunc versi et a tergo essent Thebanorum[3]). — Ne hanc quidem rem in ficto illo *πρωτοτύπῳ* Plut. invenit fusius descriptam, cum haec modo praebeat: *ἐπεὶ δὲ ἀκούσαντες ἀμφότεροι τὰ εὐώνυμα πιέζεσθαι καὶ φεύγειν*, quae verba epitome potius sunt Hellenicorum quae nunc habemus.[4])

Thebani cum inter impedimenta essent Agesilai vident socios ad Helicona fugientes[5]); ad quos perventuri (*διαπεσεῖν βουλόμενοι πρὸς τοὺς ἑαυτῶν*, h. e. perrupturi hostem atque perventuri ad Argivos ceterosque socios) alta phalange[6]) aggrediuntur Lacedaemonios (§. 18). Cum Agesilaus eos non praetermittat, sed ex adverso eos aggrediatur[7]), acre initur proelium, denique *nonnulli* Thebanorum perruptis Lacedaemoniis Helicona capiunt, *cum plurimi* interficerentur (§. 19). — Hanc pugnam Plut. (c. 18) multo copiosius narrat[8]) atque — id quod Gr. negare frustra studet — quam diversissime. Ex initio enim cum consentiant ambo scriptores: Xen.: *ἔξὸν τῷ Ἀγησιλάῳ παρέντι τοὺς διαπίπτοντας ἀκολουθοῦντι χειροῦσθαι τοὺς ὄπισθεν οὐκ ἐποίησε τοῦτο, ἀλλ' κτλ.*

---

[1]) l. l. 105, 735: „die erklärung für *μέντοι* ist nicht schwer."

[2]) Recte statuere videtur Gr. 105, 734, Agesilaum suum cornu conjunxisse cum media acie. Alia est sententia Hertzbergii l. l. 280, ann. 135 f: „wir erfahren nicht, ob auch das *centrum* unter Herippidas gegen die Thebaner aufbrach; vielleicht hinderte Her. während des gefechts zw. Ages. und den Theb., dasz die zerstreuten verbündeten sich wieder sammelten."

[3]) *ἐξελιγμός* = „Contremarsch" cfr. Köchly et Rüstow l. l. pagg. 114 sqq.; 126 sq.; 159. — F. Vollbrecht ed. Anab. I[5] pag. 24.

[4]) ut Gr. ipse recte dicit 105, 735; cfr. Buechs. 105, 255.

[5]) profecto non solos Argivos sed etiam eos qui mediam tenuerant aciem, quos Herippidas cum Ionibus cett. *ἔτρεψεν*. cfr. Grosser 105, 735.

[6]) *συσπειραθέντες* = „in tiefer colonne" cfr. Köchly et Rüstow l. l. pag. 160.

[7]) „front gegen front" Köchly et R. l. l. — „gegen Xen.'s rath" proprio Marte addit E. Curtius l. l. cfr. Hertzberg l. l. 90: „*es ist nicht unwahrscheinlich*, dasz Xen., der seinen königlichen freund wegen der maszregeln, die er nun ergriff, *tadelt* (sed quae verba Xenophontis continent hanc vituperationem? equidem nullam plane video) ihm jetzt *vorschlug* etc. — das alles veranlaszte den könig, den *rath* seines freundes nicht zu befolgen."

[8]) Studio Agesilai Plut. motus esse videtur Büchsenschützio ut plura reddat, quod studium biographo sine dubio aptissimum est, quod tamen Gr. Xenophonti aptius putat (l. l. 733) quem Agesilaismi cum Niebuhrio arguit.

Plut.: *τῆς νίκης ἀκινδύνου παρούσης, εἰ τῆς κατὰ στόμα μάχης ὑφέσθαι τοῖς Θηβαίοις ἠθέλησε καὶ παύειν ἑπόμενος παραλλάξαντες κτλ.*

plane alium exitum pugnae tradit Plut.: *ἠναγκάσθησαν ὅπερ ἐξ ἀρχῆς οὐκ ἐβούλοντο ποιῆσαι. Διέστησαν γὰρ αὐτοῖς τὴν φάλαγγα καὶ διέσχον, εἶτα ἀτακτότερον ἤδη πορευομένους, ὡς διεξέπεσον, ἀκολουθοῦντες καὶ παραθέοντες ἐκ πλαγίων ἔπαιον. οὐ μὴν ἐτρέψαντό γε, ἀλλ' ἀπεχώρησαν οἱ Θηβαῖοι κτλ.* Quae descriptio[1]) illi Xenophontis plane est contraria neque Gr. recte statuit verbis nunc relictis in hiſtoria gr. *τέλος δὲ — ἀπέθανον* (§. 19) tradi finem agendi rationis, quam Lacedaemonii secuti sint[2]), accuratius relatae a Plutarcho ex vero Xenophonte. Ea sola causa quod Xen. *nonnullos* tantum Thebanos (*οἱ μέν* oppositi sunt *πολλοῖς*) *διαπεσεῖν* dicit, Plut. *omnes* vel plurimos (*οἱ Θηβαῖοι*), plane sufficit[3]), ut ne omni quidem dialectica arte usurpata Gr. mihi persuadere possit, et quae nunc in Hellenicis legamus et quae Plut. praebeat ex eodem fuisse sumpta fonte.

Victoria ab Agesilao reportata (§. 20) cum hostes omnes aut fugissent aut se recepissent[4]), Ages. ipse vulneratus ad aciem suam affertur (*τετρωμένος αὐτὸς προσενήνεκτο πρὸς τὴν φάλαγγα*[5])). Cum non tradatur a Xenophonte ubi vulneratus neque unde ad phalangem allatus sit, verba Xenophontis profecto aenigma quoddam continent, ut Cypr. statuit[6]), quod tamen dissolvi et explicari quodammodo posse ex rerum connexu omnium recte probavit Buechs. Ages. enim in pugna postrema illa atrociſsima, quam cum Thebanis ipsis commisit, vulnere affectus relinquebatur a militibus suis qui Thebanos fugientes persequebantur atque nunc portatur ad milites victores[7]). Aenigma hoc omnino non explicatur eis quae Plut. praebet, qui non narrans Agesilaum antea a phalange discessisse haec modo tradit (c. 19 in.): *Ἀγησ. καίπερ ὑπὸ τραυμάτων πολλῶν κακῶς τὸ σῶμα διακείμενος.*

Tum Agesilao nuntius affertur, ad octoginta hostes cum armis esse sub templo (*ὑπὸ τῷ νεῷ*); non additur a Xenophonte quale illud templum fuerit, quod tradit Plut. regionis illius ipse gnarus (c. 19): *πλησίον γὰρ ὁ νεώς ἐστιν τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς*[8]). Supplices illi hostes in praesidium templi cum fugissent (Plut.: *εἰς τὸ ἱερὸν κατέφυγον*) rex quamquam multis vulneribus affectus tamen non oblitus pietatis erga deum (*τοῦ θείου*) eos omnes dimitti jubet: quam rem simillime Plut. narrat[9]).

---

[1]) quam reddunt Köchly et R. l. l. pag. 160, Hertzberg l. l. pag. 91; E. Curtius, l. l. — Herbst, l. l. 692. Grote IX 437, Lachmann I pg. 167 ann. haec dicit: „Xen.'s schlachtbericht ist nach dem plutarchischen zu berichtigen; nach ihm brechen nur *einige* Thebaner durch, was durch das folgende schon widerlegt wird." Quod ultimum cum recte sit dictum, tamen non statuendum est, Xenophontem ex Plutarcho emendandnm esse, cum vix sumi possit, Xenophontem consulto falsa tradidisse.

[2]) „das *endresultat* des von den spartanern eingeschlagenen verfahrens."

[3]) Cyprianum contendentem (pag. 33) *διαπίπτουσι* (Xen.) idem esse ac *διέστη καὶ διέσχεν* (Plut.) satis refutavit Büchs. l. l. 257.

[4]) cfr. Buechsenschuetz 105, 257, cui assentitur Gr. 105, 733.

[5]) quae verba falso tradit Hertzberg l. l. 91: „der könig liesz sich auf einer bahre *durch das lager* tragen", proprio Marte addens „um die ob seines schicksals bekümmerten Griechen zu beruhigen."

[6]) l. l. pag. 33.

[7]) Assentiri videtur Buechsenschuetzio Gr. l. l. 735. Atque E. Curtius, Hertzberg alii recte jam diu sententiarum hanc connexum intellexerant.

[8]) cfr. Buechsenschuetz l. l. 256, qui putans haec *aut* ex loci notitia Plutarchi ipsius orta esse *aut* ex eodem fonte cum Paus. III 9, 13, Ephorum, ni fallor, fontem Plutarchi ipse statuit.

[9]) E. Curtius III² 753, 29: „so wird dem Agesilaus die schonung der in den tempel der Athene Itonia geflüchteten als ein besonderes verdienst angerechnet." — cfr. Hertzberg pg. 91.

Deinde cum vesper jam magnus esset, Lacedaemonii coenati cubitum eunt noctemque degunt in ipso proelii campo[1]).

Postridie mane (§. 21) rex Gylim polemarchum acie instructa tropaeum collocare jubet omnesque milites coronari tibicinesque canere tibiis. In his verbis Cyprianus[2]) putat se lacunam invenisse cum Xenophonti dicendum fuisset ab Agesilao aciem instructam esse ut denuo pugna committeretur, si hostes denuo acie decernere auderent. Quem egregie errasse recte demonstravit Buechs.[3]): Verba enim Xenophontis hoc tantum significare possunt: acies instruitur ut ea instructa tropaeum collocetur (*παρατάξαι τε ἐκέλευε τὸ στράτευμα καὶ τρόπαιον ἵστασθαι*), neque potuit Xen. significare pugnam repetendam ita ut narraret tantum, Spartanos (ex more) coronatos esse, quod faciunt ut colant deos. Agesilaum victorem se putasse neque integram pugnam exspectasse inde apparet, quod statim jubet tropaeum collocari: quod cur jam pridie non sit collocatum docent verba (§. 19:) *καὶ γὰρ ἦν ἤδη ὀψέ*. — Quae contra Plut. praebet non modo plane alia sunt, cum consilium Agesilai tale tradant quale Xen. omnino non narrat, sed etiam falsa. Nam ut hostes ad pugnam renovandam eliceret (hoc enim significant verba Plutarchi: *βουλόμενος ἐξελέγξαι τοὺς Θηβαίους ὁ Ἄγης., εἰ διαναυμαχοῦνται*), dux non jubet militibus coronatis tibiisque cantatis tropaeum collocari et ornari sed acie instructa aut ipse facit impetum aut hostium impetum exspectat, factum sustinere studet.[4])

Thebani[5]) cum per praecones cadavera sepelienda sibi tradi poscant[6]), induciae fiunt et Agesilaus Delphos profectus decimam praedae Deo sacrificat[7]). Haec verba: *δεκάτην τῶν ἐκ τῆς λείας τῷ θεῷ ἀπέθυσε* jam diu homines doctos vexaverunt. Omnino nullam profecto praeberent offensionem nisi Plut. diverse traderet: *τὴν δεκάτην ἀπέθυε τῶν ἐκ τῆς Ἀσίας λαφύρων*. Morus pro *λείας* scribi jussit *Ἀσίας*, quod falsum esse Buechs. recte demonstrat[8]), cum huic verbo *λείας* respondeat apud Plutarchum *λαφύρων*, necesse igitur sit tale verbum etiam apud Xenophontem legi. Grosser vero cum Cypriano[9]) verba *ἐκ τῆς Ἀσίας* post *λείας*

---

[1]) ut recte statuit Hertzberg l. l. pagg. 92; 281, 139. [2]) l. l. pag. 33 sq.

[3]) l. l. 257 sq. — Buechsenschuetzium refutare frustra tentavit Gr. 105, 736.

[4]) cfr. Büchsenschuetz l. l. 258. — Rüstow et Köchly l. l. 160: „es erfolgte die auslieferung der todten und die aufrichtung eines siegeszeichens von seiten der Laked., die sich *dazu* in grosser parade aufstellten." Aliter neque vero recte Hertzberg l. l. 92 et Lachmann l. l. 167, qui Plutarchum sequuntur; neque rectius Grote (ed. Meissner IV 438) dubitantem fingit Agesilaum viceritne necne.

[5]) qui ex Plutarchi narratione victores se putare profecto potuerunt neque vero ex Xenophontis, unde sequitur additamentum Plutarcheum *οἱ Θηβαῖοι — γεγονότες* (c. 18 fin.) in Hell. locum habere non potuisse, ut Gr. vult 105, 736.

[6]) In Xen. Ages. II 15 singulare hoc legimus: *συνελκύσαντες* (sc. *οἱ Λακεδ.*) *τοὺς τῶν πολεμίων νεκροὺς εἴσω φάλαγγος ἐδειπνοποιήσαντο*, quae E. Curtius (III² 180) vera putans (vera fuisse profecto possunt) ipse tradit, secutus (cfr. pag. 759 adn. 84) L. Herbstium l. l. 692, quem tamen justo plus tribuisse putaverim libello illi Xenophonti falso attributo justoque minus Hellenicis ipsis. — De variis conjecturis, quae ut locus tritissimus ille sanetur propositae sunt (quas omnes supervacaneas putaverim, cum a codd. tradita lectio bonum fundere videatur sensum) adeas editores ad l. — cfr. etiam Hertzberg l. l. 280, 137 sq.

[7]) Praecipuam hujus itineris causam omissam ab epitomatore praeberi a Plutarcho (*Πυθίων ἀγομένων, καὶ τήν τε πομπὴν ἐπετέλει τῷ θεῷ Ἀγησίλαος καὶ τὴν δεκάτην ἀπέθυε* dicit Gr., cum decimam neque tam celeriter neque ab ipso Agesilao praeberi necesse fuisset. Quae affirmat quidem, probare non studet. Aliam causam profert Diod. (XIV 84): *Ἀγησ. εἰς Δελφοὺς ἐκομίσθη, κακεῖ τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ σώματος ἐποιεῖτο*, quam reddunt E. Curtius et Hertzberg ll. ll.; quam tamen solam vel praecipuam fuisse credi vix potest.

[8]) l. l. pg. 258.

[9]) Gr. 105, 736; Cypr. pg. 76: *τίνος λείας; ἐκ τοῦ κειμένου φαίνεται, ὅτι ἐννοοῦνται τὰ λάφυρα τὰ ἐκ τῆς ἐν Κορωνείᾳ μάχης· ὅπερ ἀδύνατον· διότι οἱ πτωχοὶ Ἕλληνες δὲν εἶχαν τόσα πόλλα ν' ἀφήσωσιν εἰς τὸ πεδίον.*

inserenda putat atque mirari se dicit quod Buechs. hoc neget. Sine dubio non miraretur si concederet, (quod tamen neque vult neque potest „von seinem standpuncte"), ea omitti *posse* a scriptore quae per se intelliguntur a quocumque sani ingenii homine. Nam de sola praeda asiatica cogitari posse Gr. et Cypr. ipsi concedunt, cum in pugna Coronensi centum talentūm praedam coactam non esse pateat[1]). Itaque tria illa verba Xenophonti addantur ne mihi quidem necesse videtur.

Narrationes igitur Plutarchi et Xenophontis de hac pugna comparantes primum invenimus idem quod etiam ceteris locis intelleximus, nonnulla quidem eadem atque eisdem verbis usurpatis legi apud utrumque, alia tamen adeo diversa apud illum ab hoc, ut ex uno fonte ambae narrationes sumptae esse nequeant. Deinde etiam intelleximus, ubi Xen. obscurior sit atque non satis dilucidus, a Plutarcho auxilium non praeberi ad aenigmata aut solvenda aut explicanda. Itaque etiam ne hac quidem narratione Cypriani et Grosseri thesis probatur.

Haec sufficiant, quamquam nonnulla tantum a me tractata sunt argumenta quibus Gr. et Cypr. sententiam illam probare studebant non probabant. De industria ea omisi argumenta quae tertio loco proposuit Cypr. (pag. 84 sqq.) *ἐκ τῶν μικρῶν συγγραφῶν τοῦ Ξενοφῶντος* petita; omisi et quod Gr. ea non probat exceptis petitis ex encomio Agesilai, et quod etiam de hoc libello aliter ſtatuendum videtur. Probo enim equidem sententiam eorum qui statuunt[2]), hunc libellum non scriptum esse a Xenophonte ipso sed post ejus mortem a rhetore quodam esse compilatum et quidem excerptum ex Hellenicis Xenophontis adjectis aliis rebus aliunde petitis. Hoc solum addo, Beckhausii[3]) sententiam, nepotem Xenophontis et ipsum Xenophontis nomine ornatum auctorem fuisse hujus libelli aliorumque libellorum Xenophonti nunc falso attributorum, mihi veram non videri; non probavit B. quod quam maxime probandum est, hunc nepotem libros umquam composuisse: quod tamen hoc loco mihi non est demonſtrandum. Id tantum monere volo, non parvi momenti esse[4]) quod Diogenes Laertius, quem ex optimis fontibus hausisse nemo non ignorat, inter omnes scriptores quos enumerat Xenophontis nomine ornatos hunc Socratici nepotem Isocratis discipulum non commemoravit.

Ut igitur ad Hellenicorum epitomen revertar, primo obtutu huic hypothesi non deest species quaedam non veritatis sed probabilitatis. Quae enim vera si esset atque satis probata, omnes profecto difficultates solverentur quot et quantas Hellenica et semper praebebant et adhuc praebent.[5]) Omnes loci aut obscuri aut male comparati, vitia omnia et sermonis et chronologica, epitomatori voraci crimini darentur, qui *κατέφαγεν* et *κατέπιεν* omnia quae ei non placebant vel apta non videbantur. Statueremus igitur exſtitisse olim opus *πρωτότυπον* Xenophonteum quale deceret summum omnium scriptorem, qui, ut ex titulo jam operis apparet, non *unius* belli vel unius reipublicae historiam scribendam sibi proposuit, sed totius Graeciae[6]),

---

[1]) Sic E. Curtius l. l. 181 simpliciter narrat: „um den zehnten der asiatischen beute dem gotte zu weihen." cfr. Hertzberg l. l. 93. Lachmann l. l. 167 sq.

[2]) de tota illa quaestione cfr. Buechsenschuetz, Philol. XXIII 652 sqq.; G. Sauppe, ed. Tauchn. V 125 sqq.

[3]) de Xenophonteo qui fertur Agesilao, Berol. 1863 pg. 56 sq. (de quo libello cfr. Buechsenschütz l. l.); et „Xenophon der jüngere und Isocrates, oder über die unechten schriften Xenophon's und die Hellenika" pars I progr. (Rogasen) Posen 1872, pars II in diario „Zeitschrift für G. W." 1872 XXVI pag. 225 sqq.

[4]) cfr. Beckhaus progr. pg. 28.

[5]) cfr. Gr. 93, 725; Cypr. pg. 14 sqq. — Haenel pg. 4 sq.

[6]) Cypr. 113: *ἐκ τοῦ ὀνόματος τῆς συγγραφῆς — φαίνεται καθαρά, ὅτι ἡ πρόθεσις τοῦ Ξενοφῶντος ἦτο γενικωτέρα τις τῶν πρότερον ἱστορικῶν, μάλιστα δὲ τοῦ Θουκυδίδου· διότι ὁ Ξεν. δὲν ἀνέλαβε νὰ ἱστορήσῃ ἓν καὶ μόνον γεγονός, τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον, ἀλλὰ τὰς πράξεις συμπάσης τῆς Ἑλλάδος.*

qui optime et accuratissime omnes res narravit et exposuit, et bella et interiores rerum publicarum conditiones, ne minimis, ne Thessalicis, ne Siciliensibus omissis, qui justissima semper et maxime aequa de omnibus hominibus judicia tulit, qui neque laconismo ductus patriae invidebat, neque Agesilai studio motus Epaminondae Pelopidae Iphicratis gloriae obtrectabat.[1]) Haberemus Xenophontem perfectissimum atque summum omnium scriptorum, „quot sunt, quotque fuere, quotque post aliis erunt in annis“. — Sed num talis Xenophon revera ille sit Socratis discipulus quam maxime est dubium.

Argumentandi ratio qua utuntur viri illi sententiam probaturi[2]) eadem est atque illa qua alii etiam scriptores tractantur, et quae saepius similes gignit sententias. — Euripidem, ut hoc exemplo utar, non talem poetam invenimus esse qualem Sophoclem, ac tamen velimus eum et ipsum quam perfectissimum esse et qui ab omnibus partibus nobis placeret. Age, omnes locos, qui minus quadrant ad imaginem quam *ipsi nobis* fingimus summi poetae Euripidis, aut ejiciamus aut mutemus („corrigamus et emendemus“ ut dici solet), ubi sententiae non bene se excipere *nobis* videntur, lacunas statuamus librariorum culpa ortas: evadet Euripides quem poscimus egregius poeta, Sophocli par summaque laude dignus! Num revera talis fuerit, quis dubitare audebit? Nonne *ἀξίωμά* est, omnia antiquitatis et graecae et romanae opera nobis tradita quam perfectissima esse vel — si minus nunc sint — fuisse, denuoque eis reddendam esse formam veram atque perfectam temporum decursu vel oblitteratam vel inquinatam? — Tali modo Horatium aliosque poetas latinos tractavit et vexavit Gruppe, alios alii[3]). — Atque plane eadem est ratio quam Cyprianus et Grosser sequuntur. *Statuunt* Xenophontem fuisse scriptorem perfectissimum, aequalem Thucydidi et Herodoto, vel superiorem utrique[4]), *inveniunt* vero Hellenica nobis tradita huic sententiae repugnare, neque satis apta videri scriptori vere perfecto: en axioma proponunt, spuria esse Hellenica, non ex ipsius Xenophontis manibus profecta, sed rudera tantum et reliquias operis veri et maximi. Atque fere non necesse putant probetur haec sententia, poscunt potius ut omnes temere eam amplectentur atque lau-

---

[1]) cfr. quae fingit Cypr. l. l. pag. 113—116.

[2]) quamquam non negaverim nonnullis locis lacunas recte detectas esse a Cypriano et Grossero aliisque locis jam ab aliis hominibus doctis. Sic Cypr. pag. 54 recte offendit in I 1, 31 (ad q. l. cfr. Breitenbachii ann.); pag. 57 in II 1, 1 (cfr. Buechsenschütz ad l. *Πανταξίδης* l. l. pag. 119 sq.); pag. 63 in II 4, 39 sq. (cfr. Grosser 93, 731); pag. 69 in III 3, 6 sq. (cujus loci difficultas neque a Breitenbachio neque a Buechsenschuetzio in adnotationibus ad l. soluta est, neque Hertlinii conjecturis loco medela allata est: nov. ann. phil. 75, 1857 pg. 708 et „Zeitschr. für Gymnw.“ XVII pg. 28; cfr. G. Sauppe ed. Tauchn. ad l.); pg. 80 in V 1, 1; pg. 81 in V 1, 10 etc. Sed cum in omnibus quotquot habeamus operibus lacunae et inventae sint et inveniantur, tali argumento probari nequit, opus aliquod in epitomen esse coactum.

[3]) Similiter etiam nostrates poetae violantur: ne Frid. Schillerus quidem intactus manet, etiam illum conjecturis vexandum esse viri quidam docti putant; cfr., ne plura afferam, quae R. Peiper disputat, nov. ann. phil. et paed. (ed. Masius) 101, pg. 160.

[4]) cfr. Cyprianum 135: *κατὰ ταῦτα φαίνεται δίκαιον ὁ δυστυχήσας Ξενοφῶν νὰ λάβῃ καὶ ἐν τοῖς νῦν χρόνοις τὸν προσήκοντα τόπον· ὁ τόπος του εἶναι βέβαια παρ' Ἡροδότῳ καὶ Θουκυδίδῃ. Οὕτως ἀπολαμβάνει καὶ ἡ ἱστορία τῶν ἑλληνικῶν γραμμάτων τὴν πρέπουσαν συμμετρίαν. διότι εἶχεν ἡ ἀρχαία τέχνη ἱστορικὴν τριάδα, ὡς εἶχε καὶ ἔχει τριάδα τραγικήν. — ὅτι δὲ ὁ Ξενοφῶν παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ἦτον ὁ τρίτος πάρεδρος τοῦ Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδου, καὶ κανεὶς ἄλλος τῶν πολλῶν καὶ ἐνδόξων ἱστορικῶν, οὐδὲ τοῦτο δὲν εἶναι ἐξ ὑποκειμένου γνώμη, ἀλλὰ τὸ μαρτυρεῖ ἀνὴρ Βυζαντινός, ὁ Χριστόδωρος, ὅστις ἐν ἀρχαιοτάτῃ συλλογῇ εἰκόνων, παλαιότατα εἰς Βυζάντιον μετενεχθείσῃ, δὲν εὗρεν ἐν τοῖς ἱστορικοῖς ἢ μόνας τὰς εἰκόνας τῶν τριῶν Ἡροδότου, Θουκυδίδου, Ξενοφῶντος·* (*ἔκφρασις ἀγαλμάτων στ.* 388 *ἐν τῷ ἀ τόμῳ τῆς ἑλλην. ἀνθολογίας*).

dent neve examinent et refutare studeant[1]). Sumant *omnes* probandum jam esse probatum: nemo desiderabit argumenta quibus probetur.

Non recte a Grossero et Cypriano affirmatum esse, Xenophontem perfectissimum scriptorem fuisse[2]), alia ejus scripta docent, e quibus intelligitur eum non fuisse talem auctorem qualem illi fingant.

Quanta enim ejus fuerit fides optime perspicere possumus ex Anabasi, cujus compluribus locis ut Cyrum non verum describat (is enim haud ita admirabilis ab omni parte fuit), aut falsa tradit aut vera omittit, cum per totam *κατάβασιν se solum* principem, *se unum* ducem prudentem fingat, veri vix admodum prudens[3]): id quod alio loco accuratius me expositurum esse spero. — Quantus fuerit in ingeniis enarrandis intelligimus ex eis quae de Cyro Clearcho Proxeno Menone in Anabasi scripsit, quae profecto non sunt ingeniorum descriptiones et morum notationes.

Ex his atque aliis vitiis quibus opera Xenophontis sine ullo dubio vera laborant, cognoscimus, Xenophontem non ita comparatum fuisse ut „sine ira et studio“ hiſtoriam possit scribere, ut res omnes recte aestimet, ut de magnis omnibus viris justa ferat judicia. Falsissime igitur ageremus, si Xenophontem Hellenicorum auctorem meliorem scriptorem et majorem nobis fingeremus, quam Thucydidem Herodotum Polybium alios: *quibus ille re vera ne aequalis quidem fuit.*[4])

Finem igitur facturus affirmare posse mihi videor sententiam illam a Cypriano Grossero aliis prolatam, Xenophontis Hellenica non integra in codicibus exhiberi sed neglegenter in epitomen coacta, ab eis qui eam protulerint probatam non esse, atque ne probabilem quidem videri. De Hellenicis autem ipsis acquiescendum mihi videtur in Nitschii sententia, qui multis causis allatis probavit, revera ortum esse hoc opus a Xenophonte Socratico atque esse verum opus atque genuinum.

---

[1]) Gr. l. l. 105, 740: „Ich kann nur wünschen, dasz man, um zum Ziele zu gelangen, die prüfung der allerseits anerkannten hellenika-schwierigkeiten endlich einmal durch die brille unserer auszugstheorie versuche, — — *dasz man also die sache nicht erst vom negierenden, sondern zuerst vom positiven standpunct aus ansähe.*“ cfr. progr. pg. 4. — Quam rationem si sequeremur simillimi essemus L. Schwabio, qui eodem modo probare studebat, Catulli Lesbiam fuisse Clodiam illam Quadrantariam (cfr. quaest. Catull. I pg. 68: „*age ponamus probandum jam esse probatum*, atque affirmantes Clodiam quadrantariam a Catullo Lesbiae ficto nomine significatam esse enarremus etc.“), quam probandi rationem optime nuper refutavit Al. Riese, nov. ann. phil. 105, pagg. 747 sqq., praecipue pg. 748.

[2]) qualem etiam fingit Beckhaus, Z. G. W. l. l. 260 sq.

[3]) cujus rei exemplum affert C. G. Krueger, de auth. et integr. Anab. pg. 15. cfr. eundem pg. 24, 51.

[4]) cfr. Vischer l. l. 54, 13. — Guil. Meyer l. l. pag. 5 sqq. — Nitsche l. l. 9 sq.; 37 sq.

Index locorum.

Anonym. vit. Thuc. auctor §. 5 . . . . . pg. 7.
Diodorus XIII 42 . . . . . „ 7.
„ 46 . . . . . „ 22 sq.
„ 47 . . . . . „ 23.
„ 49—51 . . . . . „ 25—30.
„ 67 . . . . . „ 30 sq.
„ 69 . . . . . „ 31 sq.
„ 71 . . . . . „ 32 sq.
„ 105/6 . . . . . „ 34—38.
XIV 32/3 . . . . . „ 17.
„ 84 . . . . . „ 43.
Dionysius Halic. ad Pomp. 4,778 R. . . . „ 7. 9 sq.; 11.
„ „ *τεχν. ῥητορ.* 9,12 pg. 358 R. „ 12.
Marcellinus §. 45 . . . . . „ 7.
Plut. Ages. 18 . . . . . „ 38—44.
„ 19 . . . . . „ 42—44.
Alc. 27 . . . . . „ 22 sq. 23.
„ 28 . . . . . „ 24. 25—30.
„ 31 . . . . . „ 30 sq.
„ 35 . . . . . „ 31 sq. 32 sq.
„ 36/7 . . . . . „ 35 sq.
Lys. 5 . . . . . „ 31 sq. 32 sq.
„ 10 . . . . . „ 33—38.
„ 11 . . . . . „ 36—38.
„ 13 . . . . . „ 37 sq.
Xenoph. Ages. II 15 . . . . . pg. 43.
Anab. I 2, 21 . . . . . „ 11.
„ I 4, 2 sqq. . . . . „ 11.
„ II, 6, 4 . . . . . „ 11.
„ V 3, 6 . . . . . „ 38.
Hell. I 1, 2—8 . . . . . „ 21—23.
„ I 1, 9/10 . . . . . „ 23 sq.
„ I 1, 11—23 . . . . . „ 25—30.
„ I 1, 28 . . . . . „ 36.
„ I 1, 31 . . . . . „ 13.
„ I 1, 35. . . . . „ 36.
„ I 3, 14—22 . . . . . „ 30 sq.
„ I 3, 17 . . . . . „ 29.
„ I 4, 21—23 . . . . . „ 31 sq.
„ I 5, 10—11 . . . . . „ 31 sq.
„ I 5, 11—14 . . . . . „ 32 sq.
„ II 1 22—32 . . . . . „ 33—38.
„ II 4, 10—14 . . . . . „ 16 sq.
„ II 4, 42 . . . . . „ 13.
„ III 1, 1 . . . . . „ 11.
„ III 1, 26 . . . . . „ 17.
„ III 2, 7 . . . . . „ 38.
„ III 4, 25 . . . . . „ 36.
„ IV 1, 6 . . . . . „ 18.
„ IV 1, 24 . . . . . „ 14.
„ IV 3, 15—21 . . . . . „ 38—44.
„ IV 8, 1 . . . . . „ 10.
„ VII 1, 23 . . . . . „ 18.
„ VII 2, 1 . . . . . „ 10.

Corrigenda.

Pag. 6 vers. 16 scribe: laudatus.
„ 8 „ 3 „ illud.
„ 10 ann. 3 „ *μακρότερος.*
„ 10 vers. 15 „ *χρώμενος.*
„ 16 „ 27 „ *ἐχθὲς.*
„ 16 „ 30 „ 8).
„ 29 „ 18 „ *ἐπιβάτης·*
„ 33 „ 10 „ Plutarchus.

Schulnachrichten

